DE ARISTOTELIS RHETORICIS ET ETHICIS NICOMACHEIS

ET IN QUO ET CUR INTER SE QUUM CONGRUANT TUM DIFFERANT.

COMMENTATIONEM

AB

UNIVERSITATE LITERARUM

FRIDERICIANA GUILELMA BEROLINENSI

PRAEMIO REGIO CORONATAM

SCRIPSIT

Dr. SALOMON KALISCHER.

HALIS,

FORMIS ORPHANOTROPHEI.

MDCCCLXIX.

VIRIS

DOCTISSIMIS ILLUSTRISSIMIS

PRAECEPTORIBUS VENERATISSIMIS

ADOLFO TRENDELENBURG

ET

JACOBO BERNAYS

HAS LITERARUM PRIMITIAS

PII GRATIQUE ANIMI

MONUMENTUM ESSE

VOLUIT

AUCTOR.

— τῷ μὲν γὰρ ἀληθεῖ πάντα συνᾴδει τὰ ὑπάρχοντα,
τῷ δὲ ψευδεῖ ταχὺ διαφωνεῖ —

Aristotel. Ethic. Nic. I, 8.

Nullam in gentem natura bona tam multa et eximia contulit quam in Graecam. Angustis finibus limitata minimeque numerosa non solum res omnium, quae historia antiqua referuntur, gloriosissimas gessit nec modo poëtas et artifices protulit, quorum opera adhuc post millia annorum exemplaria omnis venustatis et pulchritudinis habentur inimitabilia, verum etiam in philosophia tantam adepta est gloriam, ut haec splendidis suis radiis etiam nos afficiat. Nunquam autem illa gens exigua tantopere excellere potuisset, nisi in rebus civilibus patrandis plane concors fuisset, ita ut singuli non tantum in republica, sed et pro ea viverent mortemque laetis animis oppeterent, omnia ob solam patriae gloriam peragentes. Ex studio autem viros de patria bene meritos carminibus immortalibus celebrandi poëtae evaserunt sicut ex amore sacrorum patriorum eaque illustrandi cupidine fictores et pictores prodierunt. Libere ars excolebatur, quemadmodum vita civilis libera erat. Quae vis vitae civilis non minus ad philosophiam pertinebat, namque hac tantummodo ratione quod homo et civis unus idemque sit, Plato etiam magis quam Aristoteles politicam et ethicam tanquam unam eandemque disciplinam tractare poterat, quippe ejus politia ejusdem simul ethica est. Aristoteles, utpote qui Graecas civitates jam magis quam magnus suus magister corruere viderit, ambas illas disciplinas minus copulavit, etsi eas connexas duxit, ita quidem, ut ethica quasi praeparatio sit ad politicam. Attamen etiam aliunde, quamquam non directe, vita civilis ad philosophiam multum valebat. Strenuo enim et libero omnium civium commercio publico populus Atheniensis cultum artis, quae, quatenus nos vestigia historiae ducunt, nunquam et nusquam aeque altum perfectionis gradum paremque splendorem adepta est, dico rhetoricam, acceptum refert. Quae ars quum ex vita civili evasisset

et pars commercii publici esset, haud mirandum videtur, quod ordo quidam rhetorum, qui artem suam non honeste exercebant, dico sophistas, eandem cum politica confundebant. In universa Atheniensium vita haecce ars cito tam altas agebat radices, ut jam theoriae omnis generis exhiberentur,[1] quum ex parte a Platone imprimis vero ab Aristotele ex officinis rhetorum in scholas philosophorum induceretur. Quantum cunque arti suae Aristoteles a Platone accepit,[2] primus tamen rhetoricae locum tribuit convenientem, philosophandi acumine ejus finem intelligens et adjumenta afferens copiosissima.[3]

Jam vero quum politica aut simul sit ethica, aut eam maxima certe ex parte comprehendat, etiam rhetorica, quatenus in rebus politicis versatur, ethica quaedam continebit atque theoretici erit, praecepta ethica in artem rhetoricam recipere, id quod Aristoteles fecit. Quoniam autem definitiones notionum moralium in arte rhetorica aliae sunt atque in ethicis Nicomacheis, nos oportebit tum differentias referre, tum causas earum explorare.

Ars rhetorica et ethica Nicomachea — ut primo dubitationes quasi externas brevi tollamus — duo sunt sripta, quae ingenium rationemque Aristotelis adeo produnt, ut nobis vehementer mirari liceat, qui fieri potuerit, ut Schleiermacherus, vir ille alioqui sagacissimus et luculentissimus, ambo alia ethica, quae Aristotelis nomine feruntur, maximeque quae vocantur magna moralia, anteferret et iisdem aetatem superiorem adjudicaret. Haec tamen opinio, quamvis gravissima, jam a Spengelio argumentis et philologicis et philosophis allatis tam diligenter reprobata est,[4] ut ethica Nicomachea omnium trium antiquissima et ab ipso Aristotele condita esse vixdum dubitari queat. Alia quoque suspicio, in quam nuper Rosius artem rhetoricam adduxit ab eodem Spengelio praecise refutata est.[5] Ceterum quibusdam nostratium in auctores veteres grassantibus et critico

---

[1] Westerm. Gesch. d. Beredsamkeit I. p. 35. § 27. sqq. [2] Cf. Spengel. Abhandlungen d. Bayer. Academ. Philos.- Philol. Classe VI. p. 466. „Ueber die Rhetorik des Aristoteles.“ [3] Westermann. I. p. 147 et Speng. Rhein. Mus. f. Philol. XVIII. p. 483 sq. „Die Defin. u. Eintheil. d. Rhet. b. d. Alten.“ [4] Abhandl. etc. p. 456 sqq. „Ueber die unter dem Namen des Aristoteles erhaltenen ethischen Schriften.“ [5] *Spengel. Aristotelis* ars rhetorica cum adnotatione vol. II. p. 354.

quasi furore delendi captis, nobis licet gaudere, quod numerus eorum qui scripta haecce Aristotelea suspecta habent, perparvus est, quapropter sperare possumus, magnum hunc philosophum, qui labentia Graecorum studia altiora splendore circumdedit, nunquam tam male tractatum iri, quam Platonem nuperrime Schaarschmidtius agressus est, in illius dialogis in suspicionem adducendis, omnem is quidem modum excedens.

Antequam vero ad ipsum nostrum propositum accedamus, ut artem rhetoricam et ethica Nicomachea inter se conferamus, nobis necesse videtur explanare, quomodo rhetorica ad dialecticam sese habeat, quia et Aristoteles in arte sua rhetorica hinc proficiscitur nosque indidem ad differentiam rhetorices et ethices dilucidius perspiciendam haud pauca comparaturos esse speramus.

Rhetorica et dialectica eo inter se congruunt, quod iis in rebus versantur, quae quodammodo ab omnibus possunt cognosci, quare disciplinas quasdam certis finibus circumscriptas non constituunt. (Rhet. I, 1 init. I. 2. pag. 1356, 32 Bkk.) Itaque non sententias doctrina aliqua probatas continent, sed *τὰ ἔνδοξα*, notas sive vulgares opiniones, quae in omnium animis atque ore exstant. Quam jam ob causam illustrissimum et honorificentissimum disciplinae nomen sibi vindicare nequeunt tantumque abest, ut Aristoteles hoc nomen illis artibus tribuat, ut eum, qui dialecticam aut rhetoricam pro disciplina habui voluerit, utriusque naturam plane ignorare dicat. (Rhet. I, 4. p. 1359, b, 12 sqq.) Easdem potius nihil nisi facultates, *δυνάμεις*, existimat, quae nobis suppeditent rationes (*πορίσαι λόγους* Rhet. I, 2. p. 1356, 33), vel ad disserendas et disputandas res propositas nos aptos reddant, rationem et viam nobis praescribentes. Ambae igitur artes ex communi quadam radice, [1] ex illo hominibus insito studio tam explorandi opinionesque obtinendi, qnam alios refutandi seque defendendi, natae sunt. (Ibid. I, 1. p. 1354, 5). Sicut igitur fine proposito, sic quoque argumentandi genere inter se conveniunt atque ehthymema et syllogismus aeque ac paradigma et epagoge sibi respondent, ita ut Aristoteles et illud

[1] Rhet. I, 2. p. 1356, 25. *συμβαίνει τὴν ῥητορικὴν οἷον παραφυές τι τῆς διαλεκτικῆς εἶναι.*

vocet syllogismum rhetoricum et hoc epagogen rhetoricam. (Ibid. I, 2. 1356 b, 4 sq.) At vero hic quasi ultro oritur quaestio, quanam re tandem rhetorica et dialectica inter se differant, nam eas differre et quisque concedet et Aristoteles uno jam vacabulo „ἀντίστροφος“ [1] haud dubium reddidit. Indicat enim ἀντίστροφος vel, ut Cicero ait, artem rhetoricam „quasi ex altera parte respondentem dialecticae“ [2] vel, ut fortasse Trendelenburgius rectius censuit, „ex adverso oppositam.“ [3] Neque alienus est hujus vocabuli usus Aristoteleus a Platonico, qui auctor justitiam arti medicae ἀντίστροφον dicit, [4] significaturus, esse in animo id justitiam, quod in corpore sit medicina. [5] Ergo non modo discrepant ambobus argumentandi generibus, quae quamvis valde cognata sint, tamen aliquid differunt, [6] quod quidem tam exiguum est, ut ipse Spengelius id aliquando non viderit, [7] nuper tamen adnotarit. [8] Quid multa? Quem ad finem quispiam modo dialectica modo rhetorica uteretur, si utraque idem efficeretur? Difficile autem est hanc quaestionem plane profligare, quod utramque artem, ut jam memoravimus, non esse disciplinae certae ac definitae neque in veris sed in verisimilibus reperiendis versari Aristoteles existimat, [9] ita ut re vera prorsus inter se congruere videantur. Neque injuria auctores posteriores Aristoteleam rhetoricae definitionem, esse facultatem περὶ ἕκαστον τοῦ θεωρῆσαι τὸ ἐνδεχόμενον πιθανόν, [10] ex iis quae ipse Aristoteles de definitione judicanda praecepit, rejicere videntur, quoniam eademnon minus in dialecticam quadret. [11] Etsi vero de hujusce definitionis absolutione dubitari potest, Aristoteles tamen suam de rhetoricae natura sententiam satis patefecit. Illam quidem negat disciplinae esse certis finibus circumscriptae, sed hinc nondum consequitur, eandem cunctis disciplinis communem esse, id quod Aristoteles de dialectica di-

---

[1] Ibid. I, 1. init. ἡ ῥητορική ἐστιν ἀντίστροφος τῇ διαλεκτικῇ. [2] Orat. c. 32. quocum loco cf. Brut. 22. [3] De anima p. 408 [4] Gorg. p. 464. Bkk. — Rep. p. 522: μουσικὴ ἀντίστροφος τῆς γυμναστικῆς. [5] Cf. Stephan. thes. Vol. I, 2. p. 1000 ed. Par. [6] Anal. pr. II. 24. p. 69, 16 sqq. Rhet. I, 2. 1356 b, 10 sqq. Brandis. Philol. IV. p. 13 sq. „Ueber Aristoteles rhetorik und die griechischen ausleger derselben.“ [7] Abhandl. VI. p. 483. [8] Ad Rhet. p. 52 et 68. [9] Rhet. I, 2. p. 1357. [10] Rhet. I, 2 init. [11] Cf. Rhet. Graec. collect. ap. Speng. *ad Rhet. p. 36 sqq.*

stincte ait,[1] sed dicitur tantum rhetorica et locis, *τόποις*, uti, qui cunctis disciplinis communes sint, et sententias undique repetitas (*προτάσεις*) in rem suam peculiarem vertere posse. Dialectice sane aliquis disserere potest de quaestionibus (*προβλήμασι*) naturalibus, medicis, philosophis, aliis, neque tamen unquam Aristoteles ita disserentem perhibuerit rhetorem, minime is quidem ad illius argumentationem sed tantummodo ad sermonem sive dicendi rationem respiciens. Nec est omnino rhetoris de *προβλήμασι* agere, quae Aristoteles *διαλεκτικὰ θεωρήματα* vocat,[2] sed solum de factis deque rebus aut gestis aut gerendis de quibus homines consilia inter se communicare solent, (*ἔστι δὲ τὸ ἔργον αὐτῆς περί τε τοιούτων περί ὧν βουλεόμεθα καὶ τέχνας μὴ ἔχομεν*)[3] unde rhetor conclusiones ducit (*ἡ δὲ ῥητορικὴ ἐκ τῶν ἤδη βουλεύεσθαι εἰωθότων*, I, 2. p. 1357, 1), dum dialecticae est ea tractare, quae logica egent explicatione, (*ἐκείνη* scil. *διαλεκτικὴ ἐκ τῶν λόγου δεομένων*, l. l. 1356 b, 36).[4] Quum igitur Aristoteles in Metaphysicorum libro primo praecepta ac rationes superiorum philosophorum accurate excutit et vera a falsis distinguens refellit ac denique ad suas ipsius rationes proponendas progreditur; quum, ut alio utar exemplo, in ethicis Nicomacheis (I, 3) in opiniones, tribus hominum vivendi generibus respectis, de summo bono et beatitudine vulgatas inquirit atque hic quoque verum fundamentum falsis additamentis secernit et deinceps cum suis ipsius rationibus conciliat, (I, 8, 9.) viam ingressus est dialecticam. Contra orator illas notiones morales ut certas ratasque accipiet et tamquam adjumenta ad materiam suam consultandam adhibere tentabit, neque vero, sicut dialecticus, id aget, ut his notionibus ipsis ad quaestiones morales disceptandas utatur, sed ut actionem, utrum honesta sit an inhonesta declaret. Nam si orator de natura talium notionum disputare conaretur neque ab auditoribus intelligeretur et in fines alienos discederet

---

[1] Anal. post. I, 11. p. 77, 26 sqq.: *ἐπικοινωνοῦσι δὲ πᾶσαι αἱ ἐπιστῆμαι ἀλλήλαις κατὰ τὰ κοινά . . . ἡ δὲ διαλεκτικὴ πάσαις.* — cf. Alex. Aphrod. ad Top. p. 4. [2] Top. I, 11 init. [3] Rhet. I, 2. p. 1357, 2. Diversus verborum *βουλεύεσθαι* et, quod postea legemus *συμβουλεύειν* usus accurate attendendus est. Illo enim totum comprehenditur oratoris munus, hoc duntaxat unum eloquentiae genus. [4] Cf. Trendelenb. de anima. p. 204. Bies.: „Die Philosophie des Aristoteles“ etc. I. p. 616, sqq.

(I, 2. p. 1358, 8. I, 4. p. 1359 b, 12 sqq.). Sed ubinam et quibus de rebus homines consiliantur atque deliberant? De nullis nisi practicis. (*περὶ ὧν γὰρ πράττουσι βουλεύονται καὶ σκοποῦσιν.* I, 2. 1357, 25.)[1] Ars autem oratoria, quum res privatas ob infinitam suam copiam pertractare nequeat, tantum in publicis versatur, ita ut res privatae modo generatim attingi possint,[2] illamque velut dialecticae sic quoque ethicae, quae recte politicae adscribatur, tamquam agnatam esse Aristoteles identidem ait. (I, 2. p. 1356, 25. Cf. Eth. Nic. I, 1. p. 1094 b, 25 sqq.) Constat ergo rhetorica ex analyticis et ethicis cum politica conjunctis (Rhet. I, 4. p. 1359 b, 10), quatenus ex illis conclusionum doctrinam repetit et in res practicas sive publicas adhibet. Itaque si rhetoricen et dialecticen ita sese mutuo habere contendimus, ut, quod haec in rebus intellectualibus sive ad philosophiam, quam veteres intelligebant, pertinentibus, idem illa in rebus practicis vel publicis praestet, nobis ab Aristotele non dissentire videmur, neque tamen Spengelio Riccobonum sequenti[3] concedere possumus, eundem esse oratorem qui de rebus naturalibus et quibuscunque aliis agat.[4] Riccobonus quidem ad ipsius Aristotetelis verba provocat, qui non ex universalibus, sed ex cujusque rei propriis (*τὰ ὑπάρχοντα*) argumenta esse afferenda docet, (Rhet. II, 22. p. 1396, 5 sq.) idque circa tria dicendi genera persecutus sic pergit: „*ὁμοίως δὲ τούτοις καὶ περὶ πράγματος ο τουοῦν, οἷον περὶ δικαιοσύνης εἰ ἀγαθὸν ἢ μὴ ἀγαθὸν ἐκ τῶν ὑπαρχόντων τῇ δικαιοσύνῃ καὶ τῷ ἀγαθῷ,*“ hoc tamen non ad oratorem spectat, sed auctor generatim loquitur, quum ineunte hac disputatione non de *ἐνθυμήματι* tantum sed de *συλλογισμῷ εἴτε πολιτικῷ εἴθ' ὁποιῳοῦν* loquatur. (1. l. 1396 b, 4 sq.) Sin autem, Riccobono praeeunte, Spengelius recte sensisset, differentia inter rhetoricam et dialecticam intercedens non appareret, et Aristotelem illo loco ex ethicis allegato (I, 3), ubi hominum de summo bono opiniones percenset idque honorem esse negat, pariter rhetorice ac dialectice agere rectissime contendi posset, atque illam conclusionem, summum bonum sua ipsius causa

[1] Eth. Nic. VI, 5, p. 1140, 32 Bkk. *βουλεύεται δ' οὐδεὶς . . . τῶν μὴ ἐνδεχομένων αὐτῷ πρᾶξαι.* [2] Rhet. I, 3, p. 1358 b, 9: *συμβουλῆς δὲ τὸ μὲν προτροπὴ τὸ δὲ ἀποτροπή· ἀεὶ γὰρ καὶ οἱ ἰδίᾳ συμβουλεύοντες καὶ οἱ δημηγοροῦντες τούτων θάτερον ποιοῦσιν.* [3] Ad Rhet. p. 34. [4] *Riccoboni* paraphrasis in Aristotelis rhetoricam p. 23.

peti, honorem vero non sua sed potius virtutis causa, ergo honorem non esse summum bonum, non minus rhetoricam quam dialecticam esse. Illa tamen nihil est nisi hujus particula et tamquam imago (*ὁμοίωμα*).[1] Itaque non est oratoris, verbi gratia, de ipsa justitia, utrum sit bonum, necne, disputare, sed de actione num justa sit an injusta. Nec multo secus ideoque, ut videtur, rectius Spengelius olim judicavit in „Abhandl.“ etc. VI, p. 467, ubi haecce ait: „nicht selbständig ist diese, (die Rhetorik) wie er (Aristoteles) am Eingange zu sagen scheint, nicht ein Correlat der Dialektik, sondern auf Kosten der Dialektik ist sie hervorgehoben, oder vielmehr, wie Plato schon andeutete, diese selbst ist sie in Anwendung a u f d i e g e w ö h n l i c h e n V e r h ä l t n i s s e d e s L e b e n s.“ Verumtamen hoc ipso fit, ut rhetorica correlatum sit dialecticae. Itaque artem rhetoricam tantummodo formalem esse Spengelius recte dicit, neque vero ad omnes disciplinas adhiberi et undique ejus materiem arripi posse.[2] Haec enim fuit sophistarum eloquentia, quos hanc artem profitentes seque ea instructos de omni re aliis magis persuasibiliter dicere posse jactantes,[3] tam Plato quam Aristoteles saepissime impugnat,[4] qui non tantum de forma sed etiam de materie rhetoricae propria a sophistis dissentit,[5] quod patet ex verbis supra allatis: *ἔστι τὸ ἔργον αὐτῆς περί τε τοιούτων περὶ ὧν βουλευόμεθα καὶ τέχνας μὴ ἔχομεν.* Quod quidem sophistas minus improbos attinet, eorum ex numero, exempli gratia, Gorgiam, quum perspicuum et plane manifestum artis suae exemplum exhibere vult, qua aliis melius et ad persuadendum aptius dicere possit, quaque omnes facultates contineantur, nihil aliud profert, nisi se jam saepe aegrotantibus quibusdam persuasisse, ut vel medicamentum biberent, vel se secandos urendosve medicis permitterent, quibus adeo medici persuadere non potuerint.[6] Haec autem ad ea solum pertinent,

---

[1] Rhet. I, 2. p. 1356. 30. [2] Rhein. Mus. XVIII. p. 485. [3] Cf. Gorg. p. 457 Bkk. [4] Cf. Rhet. 1, 2. p. 1356, 28. Eth. Nic. X. 10, 1180, 35 sqq. — Westerm. I. p. 133 sq. [5] Cf. Cic. de invent. I, 5. Victor. Comment. ad Rhet. p. 45. [6] Gorg. p. 456: *Εἰ πάνταγε εἰδείης, ὦ Σώκρατες, ὅτι ὡς ἔπος εἰπεῖν ἁπάσας τὰς δυνάμεις συλλαβοῦσα (ῥητορική) ὑφ' αὑτῇ ἔχει! μέγα δέ σοι τεκμήριον ἐρῶ· πολλάκις γὰρ ἤδη ἔγωγε μετὰ τοῦ ἀδελφοῦ καὶ μετὰ τῶν ἄλλων ἰατρῶν εἰσελθὼν παρά τινα τῶν καμνόντων οὐχὶ ἐθέλοντα ἢ φάρμακον πιεῖν ἢ τεμεῖν ἢ καῦσαι παρα-*

περὶ ὧν βουλευόμεθα minimeque ad artem medendi. Quid? Nonne mirum esset, qnod Aristoteles, rhetoricae esse de omnibus rebus disputare utique ratus, de eadem non egit, nisi quatenus in rebus practicis adhibenda et ad vitae usum conferenda sit, atque in hoc opere quasi rotundo ac summa admiratione dignissimo, ne uno quidem verbo docuit, quomodo quis de rebus naturalibus, philosophis, similibus loqui debeat, ut merito orator appellari possit, tantamque reliquit lacunam, neque usquam ex rebus aliis sed ubique ex practicis vel publicis ad rhetorica argumentandi genera illustranda exempla depromsit?[1] Imo auctor noster, ne latius proferat rhetorices terminos tantopere cavet, ut jam in libri primi capite quarto ei plus quam propria sint *θεωρήματα* tributum esse profiteatur (1359b, 7), *ὅπερ γὰρ* pergens, *καὶ πρότερον εἰρηκότες τυγχάνομεν, ἀληθές ἐστιν, ὅτι ἡ ῥητορικὴ σύγκειται μὲν ἔκτε τῆς ἀναλυτικῆς ἐπιστήμης καὶ τῆς περὶ τὰ ἤθη πολιτικῆς.*[2] Quod vero ad rhetoricae definitionem et illud *περὶ ἕκαστον* spectat, fortasse Aristoteles illam, quam ipse alibi infirmare videtur, non primus protulit[4] et suae concessit aetati. Nam — licet scilicet, quin etiam nos oportet apud Aristotelem, quem Lessingius noster nuncupat „den Wortsparer“ etiam in sigulis verbis haerere — eandem statim repetit addens „*ὡς δοκεῖ,*“ qua dictione sane etiam in re certa utitur,[4] sed incipit ab incerta usus *ἔστω* non *ἔστι.*[5] Ceterum vero illud *περὶ ἕκαστον* sustineri potest, nimirum quod quicunque de re aliqua dicit orator est, non quatenus argumentationes rhetoricas adhibet, sed sermone utitur oratorio. Hoc orandi genus, quod nomine nostro „Gedächtnissreden“ reddi potest, apud nos latius patet quam temporibus antiquis, quibus laudationes illas funebres, quas Graeci vocabant *ἐπιταφίους* comprehendebat.[6] Nam hoc

---

σχεῖν τῷ ἰατρῷ οὐ δυναμένου τοῦ ἰατροῦ πεῖσαι, ἐγὼ ἔπεισα οὐκ ἄλλῃ τέχνῃ ἢ τῇ ῥητορικῇ, κτλ. Quam mirifica Socrate dignissima ironia hujus loci et consilium et dictio!

[1] Cf. Anal. pr. II, 24. [2] Cf. Speng. ad Rhet. p. 83. [3] Top. VI, 12. p. 149. Speng. ad Rhet. p. 39 sq. Rhein. Mus. XVIII, p. 484 not. 4. [4] Cf. Zell. ad Eth. p. 4. [5] Cf. Brandis. Philol. IV, p. 28. [6] Hoc Muretum non vidisse valde mirum. Hic enim in hunc modum: „Ego autem, si quis quaerat ex me quo in genere causae aut controversiae sit ea oratio qua quotannis olim eos qui pro patria occubuerunt, Athenis laudare mos erat, plane respondebo in nullo; nulla enim ibi *neque causa neque* controversia est, neque quidquam de quo quis-

quod primus Aristoteles *ἐπιδεικτικὸν* dixit genere,[1] sophistae abusi de omni re vel minutissima et levissima tamquam gravissima absurde loquebantur, quocirca eos et Socrates et Plato vehementer castigat, neque ineleganter Aristoteles videtur ludibrio habere, quum disputatione de honesto ac virtutibus ineunte dicat:[2] *ἐπεὶ δὲ συμβαίνει καὶ χωρὶς σπουδῆς καὶ μετὰ σπουδῆς ἐπαινεῖν πολλάκις οὐ μόνον ἄνθρωπον ἢ θεὸν ἀλλὰ καὶ ἄψυχα καὶ τῶν ἄλλων ζώων τὸ τυχὸν τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ περὶ τούτων ληπτέον τὰς προτάσεις* . . . quumque postea de *ἐνθυμήμασι φαινομένοις* disserens unum esse arbitretur *παρὰ τὴν ὁμωνυμίαν*, exemplo utens hocce: *ὡς τὸ φάναι σπουδαῖον εἶναι μῦν, ἀφ' οὗ γ'ἐστὶν ἡ τιμιωτάτη πασῶν τελετή. τὰ γὰρ μυστήρια πασῶν τιμιωτάτη τελετή, κτλ.*[3] — Sed quodcunque id est — fortasse hac commentatione sententiam nostram confirmatum iri speraverim — Aristoteles dumtaxat de rhetorica egit, quae in rebus practicis imprimisque publicis versatur, quare eam in tria genera, deliberativum, judiciale et demonstrativum divisit (I, 3 init.) quibus omnes res vitae publicae comprehenduntur. Jam vidimus rhetoricam ethicae quodammodo cognatam esse. Utraque enim politicae adscribitur, cui sicut architecto opifex, item ethica subjecta est,[4] quumque politicum omnes cives probos atque ad honestas actiones aptos reddere oportet,[5] ita ut beatitudinem, summum illud bonum humanum consequi possint, ethici est philosophi munus, minus sane excelsum, attamen *ἀγαπητόν*,[6] singulos naturam virtutis, quam sequentes vivant, docere et viam demonstrare, qua possint ad beatitudinem pervenire. Quoniam igitur ut rhetorica ita quoque ethica ad practica spectat, namque in virtutem inquirit non modo, ut eam cognoscat, sed maxime, ut eandem ad actiones adhibeat,[7] ideoque, quod actiones ad singula pertinent et tam

---

quam controversetur;“ quem recte refutat Riccobonus paraphr. p. 63.

[1] Speng. Abhandl. VI, p. 463. Rhein. Mus. XVIII, p. 485. — Westrm. I, p. 140 cum not. 30. [2] Rhet. I, 9. p. 1366, 28. — [3] II, 24 p. 1401, 13. [4] Eth. I, 1. p. 1094, 26 sqq. Magn. mor. I, 1. p. 1181, 25: *μέρος ἐστὶν ἄρα, ὡς ἔοικεν, καὶ ἀρχὴ ἡ περὶ τὰ ἤθη πραγματεία τῆς πολιτικῆς* [5] Eth. I, 10. p. 1099 b,29 sqq. I, 13. p. 1102, 9. [6] Eth. I, 1. 1094 b, 9 sq. [7] Eth. II, 2. init. Magn. mor. I, 1, 1182, 1 sqq. Eth. X, 10 init: *οὐκ ἔστιν ἐν τοῖς πρακτοῖς τέλος τὸ θεωρῆσαι ἕκαστα καὶ γνῶναι, ἀλλὰ μᾶλλον τὸ πράττειν αὐτά· οὐδὲ δὴ περὶ ἀρετῆς ἱκανὸν τὸ*

multiplices quam commutabiles sunt,[1] non magis quam rhetorica plane accurateque exponi potest;[2] quoniam porro rhetor perinde ac politicus etiam doctrinam ethicam perceptam habere, et uterque hominum mores et habitus animorum cognosse debet,[3] jam in universum discrimen explicare conabimur, quo Aristoteli tum in ethica tum in rhetorica explananda disputandum fuerit.

Rhetorica, vel potius, cui ex ea discendum est, orator ad auditores, ut iis persuadeat, sese vertit, qui reconditas perscrutationes et ratiocinationes persequi nequeunt,[4] et nisi periculum subire velit, ne parum intelligatur et audientiam perdat, cum necesse est et conclusiones quam brevissimas proferre[5] et earum adjumenta, si sunt notiones, non e doctrina aliqua deducere, sed tales tantummodo sententias impendere, quales auditoribus suis simplicissimis[6] usitatae sint.[7] Ergo rhetorica non est, quemadmodum artes aliae, *διδασκαλική*, quippe quae solum probabile in rebus anquirat,[8] et quo magis orator studeret secundum principia theoretica dicere, eo minus, quia ineruditi sunt audientes, finem spectatum contingeret.[9] Sin autem cunctis communia, quae omnes sciunt, *τὰ κοινὰ, ἔνδοξα* in usum vocat, auditores, ut Aristoteles, acutus ille quidem et perspicax humanae animae affectionum animadversor, existimat, sua scientia in sinu gaudebunt animosque eo attentiores habebunt.[10] Universale tamen oratori in argumentatione consumere non licet, nisi

---

εἰδέναι, ἀλλ' ἔχειν καὶ χρῆσθαι πειρατέον, ἢ εἴπως ἄλλως ἀγαθοὶ γινόμεθα.

[1] Eth. II, 2, 1104, 3 sqq. [2] Rhet. I, 4. p. 1359b, 2 sqq. Eth. I, 1. p. 1094b, 11 sqq. I, 7, 1098, 26 sqq. II, 2, 1104, 1 sqq. [3] Eth. I, 13. p. 1102, 18 sq. 23. — Rhet. I, 2. p. 1356, 21 sqq. [4] I, 2, 1357, 1: *ἔστι δὲ τὸ ἔργον αὐτῆς ... ἐν τοῖς τοιούτοις ἀκροαταῖς, οἳ οὐ δύνανται διὰ πολλῶν συνορᾶν οὐδὲ λογίζεσθαι πόρρωθεν.* [5] II, 22, 1395b, 24: *οὔτε γὰρ πόρρωθεν οὔτε πάντα δεῖ λαμβάνοντας συνάγειν· τὸ μὲν γὰρ ἀσαφὲς διὰ τὸ μῆκος, τὸ δὲ ἀδολεσχία διὰ τὸ φανερὰ λέγειν.* [6] I, 2, 1357, 11: *ὁ γὰρ κριτὴς ὑπόκειται εἶναι ἁπλῶς.* Adde: II, 18, 1391b, 12: *ὃν γὰρ δεῖ πεῖσαι οὗτός ἐστιν ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν κριτής.* [7] I, 2, 1357, 7 sqq. [8] I, 1, 1355, 10. cf. I, 2 init. [9] I, 2. 1358, 25: *ἂν γὰρ ἐντύχῃ ἀρχαῖς οὐκέτι διαλεκτικὴ οὐδὲ ῥητορικὴ ἀλλ' ἐκείνη ἔσται ἧς ἔχει τὰς ἀρχάς.* [10] II, 21. p. 1395, 32: *ἔχουσι δ' εἰς τοὺς λόγους βοήθειαν μεγάλην μίαν μὲν δὴ διὰ τὴν φορτικότητα τῶν ἀκροατῶν· χαίρουσι γὰρ ἐάν τις καθόλου λέγων ἐντύχῃ τῶν δοξῶν ἃς ἐκεῖνοι κατὰ μέρος ἔχουσιν.*

quod auditores singulatim jam expertos esse verisimile est, velut, nihil vicinitate molestius, quod plerique ex experientia sua statim percipient, ita ut gaudio quodam perfundantur.[1] Unde etiam fit, ut dotcis politisque hominibus vulgus faclius persuadeat, quia illi universalia dicunt et remota, hoc vero nota quaeque sunt proxima. (*τὰ ἐγγύς*)[2] Proinde rhetorica ad vulgi opiniones se applicare debet[3] et, quod ad notiones attinet morales, earum naturam non investigat, neque ex doctrina ethica eas repetit, sed ex sententiarum vulgarium copia, quippe quum non sit oratoris audientes docere tales notiones aut rectas aut falsas esse, sed causae suae eo fidem afferre, quod illi opiniones vulgi morales accommodet. Talia autem ethicae non respicienda sunt. Sane haec quoque notiones suas cum hominum actionibus conciliare debet, neque vero cum singulis hominum vel hoc vel illo modo comparatorum, nam ei disquisitionem non secundum opiniones plus minusve praejudicatas instituere licet, sed communiter humanum, quod omnibus natura insitum est, exquirit. Judice enim Aristotele indole ad virtutem omnes homines a natura instructi sunt, non ipsa virtute aut vitio, quae potius causis extra nos sitis, uti educatione et consuetudine, gignantur.[4] Itaque ethicam ad virtutis notiones instituendas fines psychologiae attingere atque a natura animae humanae proficiscentem hac duce ad principia proponenda pervenire necesse est, ex quibus singulas virtutes et actiones metiri possimus. Rhetorica contra principia moralia ignorans ea, quae feruntur, recipit et in usum vocat, non in notione objectiva, sed in opinione subjectiva vertitur, quare acquiescit in solo *ὅτι*, quod ad scopum suum (*τὸ οὗ ἕνεκα*, *τέλος*) sufficit; at ethica a *τῷ ὅτι* proficiscitur, ea, quae pervagata sunt, ipsa illa *ἔνδοξα* rhetoricae tributa, ratione dialectica explorans, deindeque ad *τὸ διότι* pergit, unde virtus prodeat, declarans, quo facto in *τὸ τί ἐστι*, in virtutis naturam atque *οὐσίαν* inquirit, ac denique rem suam absolvit, omnia ad *τὸ οὗ ἕνεκα*, ad beatitudinem, ultimum actorum finem,

---

[1] Ibid. 1395b, 5 sqq. [2] II, 22. 1395b, 26 sqq. [3] III, 1. p. 1404, 1: *ἀλλ' ὅλης οὔσης πρὸς δόξαν τῆς πραγματείας τῆς περὶ τὴν ῥητορικήν*, II, 1 init.: *καὶ ποῖαι δόξαι καὶ προτάσεις χρήσιμοι κτλ.*
[4] Eth. II. 1 init.: *ἡ δ' ἠθικὴ (ἀρετὴ) ἐξ ἔθους περιγίνεται ὅθεν καὶ τοὔνομα ἔσχηκε μικρὸν παρεκκλῖνον ἀπὸ τοῦ ἔθους, ἐξ οὗ καὶ δῆλον, ὅτι οὐδεμία τῶν ἠθικῶν ἀρετῶν φύσει ἡμῖν ἐγγίνεται.*

referens. Quod vero Aristoteles in ethica hoc ordine non utitur, sed de fine omnium actorum, de beatitudine primum disserit, id cum tota ejus de fine sententia cohaeret, ex qua ille uniuscujusque rei et auctor et dux est, quemadmodum artifex in opere conficiendo fine ejus proposito ducitur. Quae perscrutandi ratio in philosophiam, quae dicitur practica, quam maxime quadrat: *αἱ μὲν γὰρ ἀρχαὶ τῶν πρακτῶν τὸ οὗ ἕνεκα τὰ πρακτά* (Eth. VI, 5. p. 1140 b, 16).[1] Quin ipse Aristoteles opus suum quasi coronat, exeunte disputatione iterum exponens de beatitudine, qua sapiens fruatur, (X, 6 sqq.) ita ut quaestionis flumen ex scopo oriatur rursusque in eum exeat.[2] Itaque quatenus proposito nostro conveniens est, ut differentia inter rhetoricen et ethicen intercedens magis patefiat, viam ab Aristotele in ethica initam sequamur. — Ut omnis disciplina et ars bonum aliquid appetunt tamquam scopum, ita quoque finis omnium actorum humanorum bonum quoddam erit et, sicut dignitas illarum ex singulis finibus vel superioribus vel inferioribus suspensa est, sic quoque summum bonum horum actorum in culmine omnis vitae practicae quaerendum erit, nisi vitam practicam scopo, ob quem omnia reliqua fiant, carere et in infinitum excurrere velis, quoquidem universa haec contentio vana atque irrita redderetur. Illud igitur summum bonum in politica quaerendum, utpote quae sit omnium, quae ad agendum pertinent, facultatum praestantissima et *ἀρχιτεκτονική*. (I, 1. p 1094, 1—28). Bona vero quum etiam in politica sint et quae sua ipsorum causa et quae propter alia appetuntur, summum bonum in se ipso finem habens, *τελειότατον* existit. (I, 5. 1097, 28 sqq.) Quod esse beatitudinem in eo omnes verbo consentiunt (I, 2 init), namque nemo negat, solam beatitudinem in vita practica sua ipsius gratia nec unquam propter quidquam aliud peti, etenim quamvis etiam virtutes, fructibus, qui inde redundent, non respectis, eligeremus, eas tamen etiam ob beatitudinem consequi studemus. (I, 5. 1097, 34 sqq.) Verumtamen in quaestione de natura beatitudinis omnes dissentiunt, (I, 2.

---

[1] Eth. VII, 9. 1151, 16: *ἐν δὲ ταῖς πράξεσι τὸ οὗ ἕνεκα ἀρχή.*
[2] Talem ethicam nobis Trendelenburgius recte videtur nominare „Ethik der immanenten Teleologie," cf. „Herbart's practische Philosophie und *die Ethik der* Alten" p. 32 in Abhandlungen der Berliner Akademie 1856.

1095, 20 sq.), et Aristoteles, antequam in suam de summo bono disputationem ingreditur exploratis τοῖς ἐνδόξοις (I, 3), se bonum illud in abstracto reperturum esse negat et Platonis ideam boni refellit non concedens ille quidem, communem quandam boni ideam, bonum per se esse posse, quia, ut unum modo Aristotelis argumentum afferam, bonum dicatur tum in substantia tum in qualitate tum in quantitate tum in relatione atque omnino secundum omnes categorias (I, 4. p. 1096, 23—29), quae bona omnia tam tempore sibi succedant, quam genere dignitateque diversa sint. (Ibid. 17 — 23). Et, ut sit tale bonum absolutum et ideale, tamen satis patere, idem non esse practicum et quod homo adipiscatur.[1] Atque Aristoteles etiamsi, ut postea videbimus, summum quoddam quasi contemplativum bonum, beatitudinem illam sapientis, quam dicit θεωρητικήν, esse agnoscit ac profitetur, tamen neminem ejus esse participem, quatenus sit homo, censet, sed ea modo ratione, qua divini quiddam ei insit.[2] Nunc autem maxime ipsum humanum illud bonum[3] quaeritur, quod quo quisque est solertior ad virtutem exercendam, eo magis consequitur:[4] quod eadem ratione qua in illa hominis divina parte non inveneris, in ea quoque homini cum caeteris animalibus communi parte non reperies. Itaque bonum illud humanum, quoniam nisi in eo quod hominis proprium est patefieri nequit, quum et vita, quae dicitur vegetativa cum cunctis animalibus organicis, et sensibilis, quae vocatur, cum beluis homini sit communis, sola activa, ut hominis propria, restat,[5] in qua ut in ipsius hominis opere et labore, ipsius quasi functione, ἔργῳ, summum bonum appareat necesse est, velut in artificis opere ipsius inest bonum.[6] Quodsi, quum in ipso opere finis sit collocatus, finis autem in operatione versetur,[7] hominis ἔργον sit operatio animae, bonum humanum, quia illud nisi perfectum constare non potest definiri poterit: ψυχῆς ἐνέργεια κατ' ἀρετὴν τελείαν. (I, 6. p. 1098, 16 sq. I, 13 init). Quae quum ita sint, philosophi est et naturam atque in-

[1] I, 4, 1096 b, 32: εἰ γὰρ καὶ ἔστιν ἕν τι τὸ κοινῇ κατηγορούμενον ἀγαθὸν ἢ χωριστόν τι αὐτὸ καθ' αὑτό, δῆλον ὡς οὐκ ἂν εἴη πρακτὸν οὐδὲ κτητὸν ἀνθρώπῳ. [2] X, 7, 1177 b, 26 sq. [3] I, 1, 4. p. 1096 b, 34. — 5, 1097, 22. I, 13, 1102, 14 sq. [4] I, 10. p. 1099 b, 18: δυνατὸν γὰρ ὑπάρξαι (τἀγαθόν) πᾶσι τοῖς μὴ πεπηρωμένοις πρὸς ἀρετὴν διά τινος μαθήσεως καὶ ἐπιμελείας. [5] I, 6, 1097 b, 33 sqq. [6] L. l. 25 sqq. [7] Cf. Giphan. ad Eth. Nic. p. 51. — Michel. ad Eth. p. 59.

dolem virtutis excutere, et, quum ea, ut humana, in anima ponatur,[1] hujus qualitatem investigare et quomodo ea sese manifestet atque quid efficiat, cognoscere. Uti consentaneum est, primum natura animae in quaestionem vocatur, cujus jam a Platone factam partitionem generalem in rationis et participem et expertem, ut proposito suo sat idoneam, Aristoteles sequitur.[2] Quae duae partes generales rursus in singulas partes alteras ita dividendae sunt, ut utraque pars duplex sit,[3] cujus tamen prioris pars vegetativa, quia prorsus irrationalis omnibusque animantibus communis, ergo hominis non propria est, in ethica nihil habet momenti.[4] In ea autem parte, quae animi cupiditatem amplectitur (*τὸ δ' ἐπιθυμητικὸν καὶ ὅλως ὀρεκτικόν*) quaeque, quoniam rationi paret atque obtemperat, aliqua ex parte hujus est particeps, appetitiones positae sunt, quae ita in contrarias partes nos trahunt, ut qui aut in hanc aut in illam partem trahatur, aut continens aut homo incontinens existat.[5] Atque quum aut participes aut expertes rationis vel ei obedientes sint animi partes, duo omnino sunt virtutum genera, alterae morales alterae intellectuales sive rationales virtutes (*διανοητικαί*).[6] Ac natura quidem nemo unquam morali illa virtute praeditus est, sed, ut jam diximus, indole tantum ad eam usu consuetudineque acquirendam, ita ut per ipsas nostras operationes virtus nostra existat tamquam noster habitus (*ἕξις*).[7] Quo denique facto honeste non agere non possumus, cum natura quidem imbuti simus et res honestas et inhonestas faciendi facultatibus.[8] Neque boni neque mali homines evadimus nisi

---

[1] I, 13. p. 1102, 14: *περὶ ἀρετῆς δὲ ἐπισκεπτέον ἀνθρωπίνης δῆλον ὅτι. . . ἀρετὴν δὲ λέγομεν ἀνθρωπίνην οὐ τὴν τοῦ σώματος ἀλλὰ τὴν τῆς ψυχῆς.* [2] I, 6, 1098, 3 sq. I, 13, 1102, 23: *θεωρητέον δὴ καὶ τῷ πολιτικῷ περὶ ψυχῆς . . . ἐφ' ὅσον ἱκανῶς ἔχει πρὸς τὰ ζητούμενα . . . λέγεται δὲ . . . οἷον τὸ μὲν ἄλογον αὐτῆς εἶναι τὸ δὲ λόγον ἔχον.* cf. Trendelenb. de anima p. 148 et 526. [3] I, 13. p. 1102b: *φαίνεται δὴ καὶ τὸ ἄλογον διττόν.* 1103, 2: *διττὸν ἔσται καὶ τὸ λόγον ἔχον.* cf. VI, 2. p. 1138, 3 sqq. [4] I, 13, 1102b, 11 . . *τὸ θρεπτικὸν ἐατέον, ἐπειδὴ τῆς ἀνθρωπίνης ἀρετῆς ἄμοιρον πέφυκεν.* [5] I, 13. p. 1102b, 14—21. [6] L. 1 1103, 3 sqq. II. 1 init. VI, 2 init. [7] II, 1, 1103, 24: *οὔτ' ἄρα φύσει οὔτε παρὰ φύσιν ἐγγίνονται αἱ ἀρεταί, ἀλλὰ πεφυκόσι μὲν ἡμῖν δέξασθαι αὐτάς. τελειουμένοις δὲ διὰ τοῦ ἔθους.* cf. II, 4. [8] II, 4. p. 1106, 9: *δυνατοὶ μέν ἐσμεν φύσει, ἀγαθοὶ δὲ ἢ κακοὶ οὐ γινόμεθα φύσει.* *V, 1. p. 1129, 13: δύναμις μὲν γὰρ (καὶ ἐπιστήμη) δοκεῖ τῶν ἐναντίων*

exercitatione et usu, velut architectus aut melior aut pejor apparet, quo pulchrius aut deformius aedificat, nam ex paribus actionibus pares oriuntur habitus.[1] Operationis vero vel actionis fundamentum est appetitus, qui e sensibus proficiscitur, neque enim ipsi sensus, quoniam beluae quoque sentiunt, non agunt, fontes consiliaque agendi esse possunt.[2] Neque tamen si quis fortuito ac temere quod intendit perfecerit, is probe honesteque egisse videbitur, sed qui quum e voluntate tum e consilio egerit, quare hoc est verum agendi principium sive causa efficiens (*τὸ ὅθεν ἡ κίνησις*).[3] Aristoteles denique, ut ad ipsius virtutis notionem ejusque naturam declarandam perveniat, quemadmodum aut eo, quod quid nimis agatur sive excedendo modum, aut eo, quod quid parum sive non integro modo agatur, in artibus et literis peccetur, sic in agendo peccari proptorea ostendit, quod appetitus aut parum intenti aut nimis remissi inveniantur[4]: et qua ratione ea artium opera perfecta censeantur, quibus neque quidquam detrahi neque addi possit, ut mediocritatem quandam teneant, eadem, ex eo appetitu, qui neque praeter modum neque manca ratione intendatur, profectas actiones virtute non carere explicat,[5] ita ut virtus jam definiri possit: *ἕξις προαιρετικὴ ἐν μεσότητι οὖσα.* Quae tamen mediocritas non absoluta est, velut numerus proportionalis, non *μέσον τοῦ πράγματος*, sed ex individuali humanorum appetituum natura[6] *μέσον πρὸς ἡμᾶς.*[7] Ea autem mediocritas ne inanis sonus sit ac nullius momenti, ab ea animi parte, quae ratione sit praedita, dico a recta ratione praecipiatur necesse est.[8] Hujus vero animi pars quum et ipsa, sicut *ἄλογος*, sit bipartita, altera, qua ejusmodi res quarum principia aliter sese habere non possunt

---

ἡ αὐτὴ εἶναι, ἕξις δ' ἡ ἐναντία τῶν ἐναντίων οὔ. cf. Trendelenb. de anima p. 311 sqq. Bies. I. p. 74 sq.

[1] II. 1. p. 1103b, 8—23. [2] VI, 2. p. 1139, 19. [3] L. l. 31 sq. cf. Trendelenb. de anima p. 180. [4] II, 2. p. 1104, 11—35. [5] II, 5. p. 1106b, 8: *εἰ δὴ πᾶσα ἐπιστημη οὕτω τὸ ἔργον εὖ ἐπιτελεῖ, πρὸς τὸ μέσον βλέπουσα καὶ εἰς τοῦτο ἄγουσα τὰ ἔργα (ὅθεν εἰώθασιν ἐπιλέγειν τοῖς εὖ ἔχουσιν ἔργοις ὅτι οὔτ' ἀφελεῖν ἔστιν οὔτε προςθεῖναι, ὡς τῆς μὲν ὑπερβολῆς καὶ τῆς ἐλλείψεως φθειρούσης τὸ εὖ, τῆς δὲ μεσότητος σωζούσης) . . . ἡ δ' ἀρετὴ πάσης τέχνης ἀκριβεστέρα καὶ ἀμείνων ἐςτίν . . . τοῦ μέσου ἂν εἴη στοχαστική.* [6] II, 9. p. 1109b, 1: *σκοπεῖν δὲ δεῖ πρὸς ἃ καὶ αὐτοὶ εὐκατάφοροί ἐσμεν· ἄλλοι γὰρ πρὸς ἄλλα πεφύκαμεν.* [7] II, 5, 1106, 26—1106b, 7. [8] Cf. VI, 1 init.

contemplamur, altera, qua τὰ ἐνδεχόμενα ἄλλως ἔχειν i. e. quae hoc vel illo modo evenire possunt, — quarum partium illam ἐπιστημονικόν, hanc λογιστικὸν Aristoteles vocat, — actiones vero in horum numero sint, hanc disputationem nihil aliud atque ad λογιστικὸν, quippe quod eas quae ad agendum pertinent virtutes rationales sive logicas comprehendat, spectare oportet,[1] quarum virtutum princeps et quasi quaedam complexio est prudentia (φρόνησις).[2] Praecipit igitur haec et generaliter virtutis mediocritatem et singularum virtutum actionumque,[3] ita ut nemo sit bonus sine prudentia, nemo prudens sine virtute morali.[4] Itaque virtutes et morales et rationales quum inter se concilientur habeantque vim mutuam sive reciprocam, virtutis integra est definitio: ἕξις προαιρετικὴ ἐν μεσότητι οὖσα τῇ πρὸς ἡμᾶς ὡρισμένῃ λόγῳ καὶ ὡς ὁ φρόνιμος ὁρίσειεν. (II, 6 init) Qua mediocritatis ratione constituta, ad quam singulae virtutes et actiones referri possunt vel illae ab Aristotele referuntur, ethica doctrinae nomen sibi meruit, quod rhetoricae (primus Aristoteles detraxit, ac praecipue in via, qua utraque ad moralium notionum definitiones pervenit, quantum distent, apparebit. Vidimus enim Aristotelem in ethicis omnium rerum agendarum τέλος spectantem, a beatitudine profectum, quam omnes homines suapte vi petant, ad virtutis notionem, quae apud omnes eadem valeat pergere. Neque in rhetoricis noster suam philosophandi rationem deponit, quoniam et ibi τέλος id est, a quo quaestio proficiscitur. Neque tamen hac ratione utraque inter se congruunt. Namque ethica ad omne humanum genus, quatenus commune quoddam habet, spectat, rhetorica ad hominum modo speciem quandam, instructam praejudicatis sententiis et opinionibus, dico eos qui audiunt: καὶ τὸ τέλος πρὸς τοῦτον, λέγω δὲ τὸν ἀκροατήν. (Rhet, I. 3 init.) Necesse autem est, eum qui audiat, aut disceptatorem sive de rebus futuris sive de rebus praeteritis esse, aut nihil aliud quam quendam quasi spectatorem de vi ac facultate dicentis judicantem. Itaque, quandoquidem Aristoteles de sola

---

[1] VI, 2, 1139, 5—8. [2] Cf. VI, 10 fin. VI, 11, 1143, 6 sqq. VI, 12 init. [3] VI, 5—7, 12, 13: ἡ γὰρ (φρόνησις) ποιοῦσα ἄρχει καὶ ἐπιτάττει περὶ ἕκαστον. vid. Zell. ad Eth. p. 240. [4] L. l. p. 1144, 36: φανερὸν ὅτι ἀδύνατον φρόνιμον εἶναι μὴ ὄντα ἀγαθόν. VI, 2, 1139, 34: εὐπραξία καὶ τὸ ἐναντίον ἐν πράξει ἄνευ διανοίας καὶ ἤθους οὐκ ἔστιν. *Cf. Trendelenb. Historische* Beiträge II, p. 384 sqq.

publica vita cogitat, de rebus futuris eum judicare qui in concionem venerit (ἐκκλησιαστής), de rebus praeteritis judicem contendit. Et cum his tribus auditorum generibus consentanea sunt tria eloquentiae genera, deliberativum (συμβουλευτικόν), judiciale (δικανικόν), demonstrativum (ἐπιδεικτικόν). Demonstrativum est, ut Ciceronis verbis utar, quod tribuitur in alicujus certae personae laudem aut vituperationem. Deliberativum in disceptatione et consultatione civili, habet in se sententiae dictionem. Iudiciale est quod positum in judicio, habet in se accusationem et defensionem, aut petitionem et recusationem. (De invent. I, 5) Oratoris enim deliberativi est, causam de qua agitur aut utilem aut perniciosam esse ostendere, judicialis aut injustam aut non injustam,[1] demonstrativi aut honestam aut turpem. Sic alii dicendi generi alius finis est, quumque tria sint genera totidem sunt fines; atqui ad suum quisque finem alios quoque ambos tamquam adminicula adjicit.[2]

Sed priusquam singulas rhetoricae definitiones cum ethicis comparemus, quomodo ethicus philosophus, qui omnibus hominibus quo pacto sit agendum praecipit, et artis rhetoricae scriptor, qui oratorem quomodo sit in concionibus dicendum docet, sese habeant, nobis illustrandum esse censemus. Quamquam igitur ethica non est doctrina contemplativa sive theoretica, sed et ad cognoscendi et ad agendi vim ac rationem refertur, ethicus tamen philosophus in munere suo fungendo, nulla habita personae ratione, de re sola cogitat neque alium sequitur ducem nisi animum humanum ejusque operationes, easque non ut apud singulos homines aut speciem aliquam sed apud omne humanum genus apparent et valent. Nulla civium suorum opinionum, nulla aetatis suae habita ratione, omni auctoritate externa postposita, unius humanae naturae quasi vestigia persequutus id agit, ut ad principia perveniat, quae hominum natura continentur, et objective disputet de sua causa: quae ut agnoscatur ne conatur quidem ipse se ex suis ipsius doctrinis viventem facere, quamvis non nullius momenti sit doctrinarnm et actionum consensio. (Cf. Eth. Nic. X, 1 p. 1172, 34 sqq.) At ethicos saepe a sua morum doctrina alienam inire vivendi rationem quum

[1] Cf. Rhet. I, 10. p. 1368, 30—33. — Cf. infr. p. 60. [2] Rhet. I, 3. p. 1358, 36—b 29.

de aliis memoriae proditum est, tum de Eudoxo, quem quamvis in voluptate summum bonum posuerit, ipse Aristoteles, immodica tamen quadam fuisse temperantia, collaudat.[1] Atque probo quidem oratori — neque in hac comparatione de alio cogitare licet — causa sola cordi est, quae vero ut bene prospereque eveniat, ipsius oratoris maximo opere mores integri atque indoles spectata necesse est appareant, quae, ut rei fides afferatur, vel gravissimi momenti esse contra alios artium scriptores Aristoteles jure contendit.[2] Itaque quum orator et subjective, ut ita dicam, res spectet et, quoniam e doctrinae rationibus et praeceptis non loquitur, quod per se verum est referre nequeat,[3] sed, ne in doctrina versans frustra agat, intelligentiam captumque audientium sequatur, etiam ab eloquentiae praeceptore vulgatas modo opiniones doceri oportet.[4] Quo discrimine cognito haud scio an vere dici possit, unam modo ethicam posse veram esse, quippe cujus principia, siquidem eam cum Aristotele virtutum neque cum Kantio officiorum doctrinam intelligas, vera humani animi cognitione contineantur. Sed quod rhetorica complectitur argumentum ethicum tam incertum tam vagum tam commutabile est, quam eorum qui audiunt tum hae tum illae de moribus opiniones valent. Quare oratori, qui eandem rem tractat, aliis saepe utendum est, verbi gratia, apud Athenienses, aliis apud Lacedaemonios adminiculis atque instrumentis propter morum et naturae discrepantiam. (Cf. Rhet. I, 9. p. 1367, 29 — b, 8 sqq.) Eadem igitur est ratio rhetorices et ethices, quae inter multitudinis de rebus publicis opiniones et ipsam politicam doctrinam intercedit. Est enim oratoris, qui de causis publicis agit, cognitam ac perceptam habere politicam disciplinam, quam Aristoteles iterum atque iterum describit. (Cf. Rhet. I, 4. p. 1359 b, 16 sqq. I, 8 fin.) Namque rhetorica nihil aliud quam quae percrebruerunt de illis

---

[1] Eth. X, 2. 1172 b, 15. [2] Rhet. I, 2. p. 1356, 10: *οὐ γὰρ ὥσπερ ἔνιοι τῶν τεχνολογούντων τιθέασιν ἐν τῇ τέχνῃ καὶ τὴν ἐπιείκειαν τοῦ λέγοντος ὡς οὐδὲν συμβαλλομένην πρὸς τὸ πιθανόν, ἀλλὰ σχεδὸν ὡς εἰπεῖν κυριωτάτην ἔχει πίστιν τὸ ἦθος.* [3] Eth. I, 1. p. 1094 b, 25: *παραπλήσιον γὰρ φαίνεται μαθηματικοῦ τε πιθανολογοῦντος ἀποδέχεσθαι καὶ ῥητορικὸν ἀποδείξεις ἀπαιτεῖν·* [4] Rhet. I, 1, 1355, 26: *διδασκαλίας γάρ ἐστιν ὁ κατὰ τὴν ἐπιστήμην λόγος· τοῦτο δὲ ἀδύνατον, ἀλλ' ἀνάγκη διὰ τῶν κοινῶν ποιεῖσθαι τὰς πίστεις καὶ τοὺς λόγους, ὥσπερ καὶ ἐν τοῖς τοπικοῖς ἐλέγομεν περὶ τῆς πρὸς τοὺς πολλοὺς ἐντεύξεως.* Cf. l. l. 24 sq.

opiniones docere potest. Itaque quemadmodum aliae sunt in ethicis, aliae in rhetoricis notionum moralium definitiones, sic alia exstat in politicis ac ethicis (VIII, 12), alia in rhetoricis civitatum divisio (I, 8), quam quidem vulgarem atque usitatam fuisse ipsa Aristotelis politica tradunt. (IV, 7.) Neque sine acerbitate in sophistas, ut ita dicam, grandiloquos philosophus noster invehitur, qui quidem civilem prudentiam vel permixtam cum oratoris arte vel postpositam censeant neque quidquam, quamvis omnia sese arte dicendi efficere posse glorientur, aut ad cognoscendas aut ad bene administrandas res publicas praestent.[1] Itaque quod immutabile est et constans in rhetorica, non est ipsum argumentum ejusque explicatio, quae subjectivis, quae vocantur, opinionibus nitatur, sed est argumentandi forma, quae in immobilibus ac firmis humanae mentis legibus ac normis posita est. Unde proficiscitur logica, cujus auctor idem est Aristoteles, ut post illum neque progredi neque regredi potuisse logicen Kantius laudet.[2] Quare Aristoteles, quod artis nomine significari possit, solam argumentationem rhetoricae propriam esse,[3] quatenus argumentandi doctrinam i. e. analyticam ad res adhibeat, quae ad vitam ac agendi rationem pertineant,[4] contendit, ipsamque narrationem et perorationem ab arte excludendam fuisse censet,[5] nisi pravo aetatis judicio ipsum dicendi genus tanta auctoritate fuisset; etenim de ipsis rebus certandum esse.[6] Haec igitur argumentatio — repetere liceat, ne quis male intelligat — neque in doctrinae vel politicae vel ethicae vel aliae cujusdam quaestionbus neque in notionum investigatione inventioneque versatur, sed iis quae omnibus exstant opinionibus utitur. Nam quum, exempli gratia, ethicus quid et quale sit justum quid injustum quaerat, ut aut hoc aut illud de actione aliqua dicere possit, oratoris non est nisi ut demonstret, quomo-

---

[1] Eth. X, 10, 1180b, 35—1181, 1—17. Rhet. I, 2. p. 1356, 27 sqq.
[2] Kritik der reinen Vernunft. Vorrede zur II. Aufl.
[3] Rhet. I, 1. 1354. 13: *αἱ γὰρ πίστεις ἔντεχνόν ἐστι μόνον.*
[4] I, 4. 1359b, 10.
[5] I, 1, 1354 b, 16: *φανερὸν ὅτι τὰ ἔξω τοῦ πράγματος τεχνολογοῦσιν ὅσοι τἄλλα διορίζουσιν, οἷον τί δεῖ τὸ προοίμιον ἢ τὴν διήγησιν ἔχειν καὶ τῶν ἄλλων ἕκαστον μορίων.*
[6] Rhet. III, 1. p. 1404, 5: *δίκαιον γὰρ αὐτοῖς ἀγωνίζεσθαι τοῖς πράγμασιν, ὥστε τἄλλα ἔξω τοῦ ἀποδεῖξαι περίεργά ἐστιν. ἀλλ᾽ ὅμως μέγα δύναται, καθάπερ εἴρηται, διὰ τὴν τοῦ ἀκροατοῦ μοχθηρίαν.*

do audientium de justo aut injusto opiniones ad causam quam agit accomodari possint. Itaque ut omnes aliae artes et doctrinae, ethica quoque non *διδασκαλικὴ* modo est sed etiam *πειστική*,[1] quum e necessario (*ἐξ ἀνάγκης*), nimirum ex humanae animae natura profecta ad principia perveniat, quae, quamvis per epagogen neque per syllogismum inventa, plurimum tamen valent secundum eam auctoritatem ac vim, quam apud Aristotelem habet *ἡ ἐμπειρία*, quae *δοκεῖ σχεδὸν ἐπιστήμῃ καὶ τέχνῃ ὅμοιον εἶναι . . . ἀποβαίνει δ' ἐπιστήμη καὶ τέχνη διὰ τῆς ἐμπειρίας τοῖς ἀνθρώποις*. (Metaphys. I, 1. p. 981. (1 sqq. Bkk.) Quae ethica, etiamsi interdum in *ἐνδόξοις* probatis modo ac confirmatis acquiescere cogitur,[2] principium tamen necessraium habet, quae cognitum habeat *τὸ διότι*.[3] Rhetorica autem neque *διδασκαλικὴ* est, quoniam, quatenus ars est et forma, nihil sui proprium habet nisi locos communes, per se nullo in genere hominem quemquam reddentes prudentiorem,[4] neque *τὸ πεῖσαι ἔργον αὐτῆς*, sed silvam tantum rerum sententiarumque persuasibilium comparare oratori,[5] qui quidem pro sua parte auditoribus persuadere studet.[6] Neque rhetorica persuadere potest, quod fere nunquam *ἐξ ανάγκης*, sed plerumque *ἐξ εἰκότων* et

---

[1] Cf. Rhet. I, 2, init. p. 1355 b, 28 sqq. [2] Eth. VII, 1. fin.: *ἐὰν λύηταί τε τὰ δυσχερῆ καὶ καταλείπηται τὰ ἔνδοξα* (scil. *περὶ ἀκρασίας καὶ μαλακίας καὶ τρυφῆς καὶ περὶ ἐγκρατείας καὶ καρτερίας*) *δεδειγμένον ἂν εἴη ἱκανῶς*. Ritter. „Geschichte der Philosophie" III, totam Aristotelis disputationem perperam sane incertam esse ac fluctuantem existimat (vid. p. 294 et 319) idemque hunc locum latius patere arbitratur (cf. p. 69) quam noster voluit, quasi ubique in ipsis *ἐνδόξοις* confirmandis acquiescere vellet. Atqui ineunte disputatione et *ἔνδοξα* refellit (I, 3) et hunc locum ad continentiam, incontinentiam, similes tractandas pertinere aperte ait Aristoteles: *τὰ πλεῖστα καὶ ἔνδοξα περὶ ταῦτα τὰ πάθη*. [3] Cf. Eth. I, 2 fin. [4] Cf. Rhet. I, 2. p. 1358, 21 sq. [5] Ibid. I, 1. p. 1355 b, 10: . . . *οὐ τὸ πεῖσαι ἔργον αὐτῆς, ἀλλὰ τὸ ἰδεῖν τὰ ὑπάρχοντα πιθανὰ περὶ ἕκαστον, καθάπερ καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις τέχναις*. [6] Hoc quidem esse oratoris propositum Aristoteles non negasse videtur. Sed audiamus Spengel. in Abhandl. etc. VI, p. 459: „Die alten (Redner) wollten überreden, d. h. durch Rede den Zuhörer zu dem zwingen, was sie beabsichtigten." Adde ejus not. „Selbst Aristoteles Eth. Nic. III, 5. p. 1112 b, 11: *βουλευόμεθα δ' οὐ περὶ τῶν τελῶν ἀλλὰ περὶ τῶν πρὸς τὰ τέλη. οὔτε γὰρ ἰατρὸς βουλεύεται εἰ ὑγιάσει οὔτε ῥήτωρ εἰ πείσει*. Anders in der Rhetorik 1, 1. 1355 b, 10—14, wo er ebenfalls beide Doctrinen verbindet." Quodsi igitur Spengel. hic Aristotelem illis veteribus contradicere putat,

σημείων rationes sensusque concludit,[1] quippe quae neque ex principiis proficiscatur neque ad principia perveniat.[2] Quam ob rem ipsius non velut doctrinarum argumenta *ἀποδείξεις* dicuntur sed *πίστεις*, quia in opinionibus posita sunt. Illud vero *εἰκὸς* non est *ἁπλῶς ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ γινόμενον*, sed in iis tantum rebus apparet, quae aliter se habere possunt;[3] eae autem in arte rhetorica sunt *περὶ ὧν βουλευόμεθα*. Itaque etiam hac ipsius Aristotelis *τοῦ εἰκότος* definitione intelligi potest, eum nullo alio in genere agendi quam in rebus practicis rhetorem versari voluisse, id quod initio contendimus.

Jam vero discrimine quod est inter ethica et rhetorica ejusque causis ex universo explicatis, admirari non possis, quod Aristoteles in definienda **beatitudine** non id agit, ut in rhetorica de illa quasi de summo bono loquatur, sed de fine tantum quodam (*σκοπός τις*) omnibus quidem communi, quem ut assequantur aliae res appetuntur aliae effugiuntur, (I, 5. init.) dum in ethicis hic *σκοπός* pro certo describitur sumum bonum: *ἆρ' οὖν καὶ πρὸς τὸν βίον ἡ γνῶσις αὐτοῦ (τἀγαθοῦ) μεγάλην ἔχει ῥοπὴν, καὶ καθάπερ τοξόται σκοποὶ ἔχοντες μᾶλλον ἂν τυγχάνοιμεν τοῦ δέοντος*; (Eth. I. 1. p. 1094, 22 sqq.) Nam usque ad-

---

in verbo quidem non apparet, quoniam et ipse ubique de oratore utitur vocabulo *πείθειν* (I, 1. I, 8. II, 18 al.), sin autem sibi ipsi, fugit Spengel., Aristotelem in ethicis quidem Nicomacheis de oratoris et medici personis, in rhetoricis de artibus loqui. Aliud autem est artis, aliud ejus qui illam adhibet propositum. Artis enim rhetoricae nihil aliud est officium quam, ut diximus, copiam comparare rerum persuasibillum, e quibus orator aliis persuadere possit, ut artis medendi medicamenta, quibus medicus mederi possit, neque inconstanter hac diversa et de oratore et de arte dictione noster utitur, velut, ut ex multis pauca afferam, de arte: I, 2 init: *θεωρεῖν πιθανόν*, item l. l. 1355 b, 33; p. 1356, 20: *ἐκ τῶν περὶ ἕκαστα πιθανῶν*. de rhetore: I, 1. 1355, 29: *ἔτι δὲ τἀναντία δεῖ δύνασθαι πείθειν*, 1, 8, init: *κυριώτατον ἁπάντων πρὸς τὸ δύνασθαι πείθειν*, II, 18. 1391, 12: *ὃν γὰρ δεῖ πεῖσαι οὗτός ἐστιν ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν κριτής*. — Inde fortasse Quintiliani error: „quidam recesserunt ab eventu, sicut Aristoteles dicit, rhetorice est vis inveniendi omnia in oratione persuasibilia," verum non artis sed ejus qui illam profitetur es spectare ad eventum.

[1] Rhet. I, 2. p. 1357, 30 sqq. [2] L. l. 1358, 25 sq. [3] Ibid. 1357, 34: *τὸ μὲν γὰρ εἰκός ἐστιν ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ γινόμενον, οὐχ ἁπλῶς δὲ καθάπερ ὁρίζονταί τινες, ἀλλὰ τὰ περὶ τὰ ἐνδεχόμενα ἄλλως ἔχειν*. Adde 1357, 4: *βουλευόμεθα δὲ περὶ τῶν φαινομένων ἐνδέχεσθαι ἀμφοτέρως ἔχειν*

huc nondum ne unius quidem generis oratori opus erat boni notionem cognoscere, quae postea oratori deliberanti, cujus σκοπὸς est τὸ συμφέρον adminiculum quasi quoddam et instrumentum ad id quod intendit consequendum affertur. Nam quum homines non consilientur περὶ τοῦ τέλους sed περὶ τῶν πρὸς τὰ τέλη, omne autem συμφέρον bonum sit, primum quid sit bonum declaratur[1], tum beatitudinem esse ejusmodi bonum.[2] Verumtamen in rhetoricis summum bonum non apparet, quum in ethicis quidem omnia reliqua beatitudinis adipiscendae causa expetenda esse censeantur, (τἆλλα δὲ διὰ τούτου I. 1, 1094, 12)[3] in rhetoricis autem praeter alias in ethica quoque gravissimas causas propterea bonum quoddam ducatur, quod ἕνεκα αὐτοῦ πολλὰ αἱρούμεθα. (I, 6, 1362b, 11). Quare etiam bona esse videntur, quae non beatitudinis causa quaerantur. Neque tamen satis est oratorem quae et qualis sit beatitudo scire, sed etiam, quod vel rei caput est, ejus partes animo tenere. (I. 5 init: ἡ τ' εὐδαιμονία καὶ τα μόρια αὐτῆς). Namque abstracta beatitudinis notione non magis orator propsere uti potest quam magnitudinis et parvitatis notionibus. Utque ille id tantum agit, ut earum comparationes tamquam relative ad causam suam adhibeat,[4] sic singulae partes solae beatitudinis multi momenti sunt tamquam τὰ πρὸς τὸ τέλος, de quibus solis homines deliberare jam jamque diximus. Itaque Aristoteles non modo παραδείγματος ἕνεκα et ὡς ἁπλῶς i. e. ex vulgari opinione quae et qualis sit beatitudo dicturum sese esse profitetur, sed tantum abest ab hujus ipsius definitionum explicatione ut de solis partibus disserat. Ipsa vero haec sententia, quae in voce μορίων (τῆς εὐδαιμονίας) inest, quamquam in ethicis semel legitur (V. 3. 1129b, 18), plane tamen contraria est ac diversa, siquidem notionem spectamus, ei beatitudinis quam ethice habet naturae ac proprietati. Neque enim Aristoteles e singulis variisque partibus compositam, quasi quandam bonorum summam, censet beatitudinem, sed simplicem esse, rem individuam inseparabilemque,[5] cujus vis ac potestas bono quoquam accedendo augeri non possit, quia sit τέλειον. Etiamsi exter-

---

[1] I, 6. p. 1362, 18 sqq. [2] L. l. 1362b, 10. [3] Cf. Eth. X, 6. 1176b, 30 sq. [4] Cf. Rhet. II, 19. p. 1393, 8—18. [5] Sic cum summa hominum doctissimorum auctoritate huncce locum interpretamur. (Cf.

norum bonorum non indigere nequit beatitudo, tamen quoniam ita *ψυχῆς ἐνέργεια* sit ut ipsa virtutis possessio efficiat, ut beati simus,[1] e sua ipsius qualitate circumscripta est suis ipsius terminis neque e singulis partibus composita.[2] Praeter hanc duplicem quam exposuimus inter ethica et rhetorica universam beatitudinis differentiam, tertium intercedit discrimen eo quod in rethoricis illius beatitudinis memoriam desideramus, quam Aristoteles in contemplatione ponit ideoque ex hac ipsius operandi ratione contemplativam vocat perfectissimamque esse arbitratur. (Eth. X. 7. 8.).[3] Atque id eo magis mireris, quod, quamquam ad certam ipsius ethices normam agendi rationem vitamque quam vocant practicam ab hominibus dirigi decet, eademque ratione et ipsa ethica ad agendi rationem spectat, beatitudini tamen contemplativae locum concedit. Quid igitur est, cur rhetorica non eodem modo exigat, ut in se quoque illa ipsa beatitudo insit? Sed in rhetorica quod inest genus practicum ejusmodi est, ut non spectetur nisi homines cum hominibus vivunt, agunt, disserunt: itaque ex his actionibus, quae ad solam speciem referendae sunt et ex iis, quae singuli homines singulis his actionibus consequenda esse existimant, beatitudo definienda est. In ethicis vero non sat est quae et quales sint res inquirere, quas homo ratione extrinsecus suspensa gerere solet, sed de hominis ipsa natura et inge-

Victor. Comment. in libr. X. de moribus ad Nicomach. p. 29 sq. — Giphan. p. 50 et 775. — Zell. ad Eth. p. 35. — Michel. ad Eth. p. 58. — Ritter. Gesch. etc. III, p. 318. — Zeller. „Philosophie d. Griechen" II, 2. p. 471. not. 1.) I, 5. 1097b, 16: *ἔτι δὲ πάντων αἱρετωτάτην μὴ συναριθμουμένην, συναριθμουμένην δὲ δῆλον ὡς αἱρετωτέραν μετὰ τοῦ ἐλαχίστου τῶν ἀγαθῶν. ὑπεροχὴ γὰρ ἀγαθῶν γίνεται τὸ προςτιθέμενον, ἀγαθῶν δὲ τὸ μεῖζον αἱρετώτερον ἀεί.* Ceterum praeterea quae illi docti homines afferunt hoc ipso loco beatitudinis simplicitas intelligi posse videtur quum disputandi hunc finem faciat Aristoteles: *τέλειον δή τι φαίνεται καὶ αὔταρκες ἡ εὐδαιμονία τῶν πρακτῶν οὖσα τέλος*, ergo quod *τέλειον* est *συναριθμούμενον* esse nequit. Brandisius vero (Gesch. d. Philosophie II, 2 p. 1344) hujus loci ambiguitatem auxit vernacule dicens: „und durch jedes ihr hinzukommendes, wenn auch noch so kleines Gut anwachsende (obgleich des Anwachses nicht bedürftig)," verumtamen utrum ea ratione beatitudinis vis augeatur et optabilior reddatur necne, id multum refert. Sed vid. quod hoc in genere idem scripsit Philol. IV. p. 28.

[1] X, 9. 1179, 8: *ἔσται γὰρ ὁ βίος εὐδαίμων τοῦ κατὰ τὴν ἀρετὴν ἐνεργοῦντος.* [2] Cf. Bies. Philos. d. Aristotel. II, 266 sq. [3] Cf. Ed. Müller: „Geschichte der Theorie der Kunst." II. p. 38 sqq.

nio ita quaerendum est, ut quae res ejus per se nulla aliorum societate nulloque commercio alieno intercedente propriae sint, intelligatur. Itaque post illas exteriores ad interiores quoque in semet ipsis absconditas et quasi sese contemplantes actiones spectare oportet: in his posita est vita ratione utens congruensque cum ratione.[1] Eo enim differunt et rhetorices et ethices rationes practicae, quod illius tantummodo ad alios et res externas diriguntur, *ἀλλὰ τὸν πρακτικὸν οὐκ ἀναγκαῖον εἶναι πρὸς ἑτέρους, καθάπερ οἴονταί τινες, οὐδὲ τὰς διανοίας εἶναι μόνας ταύτας πρακτικὰς τάς τῶν ἀποβαινόντων χάριν γιγνομένας ἐκ τοῦ πράττειν, ἀλλὰ πολὺ μᾶλλον τὰς αὐτοτελεῖς καὶ τὰς αὑτῶν ἕνεκεν θεωρίας καὶ διανοήσεις,*[2] et ita ethica se habet. Quo vero constituto tantum abest ut a proposito sese Aristoteles deflectat, ut, praeterquam quod utrumque ethicae beatitudinis genus ita in animo est positum ut alterum quoque vim teneat intestinam animique ac naturae potestatem, ineunte disputatione infra sese de *βίῳ θεωρητικῷ* disputaturum esse promittat. (Eth. I, 3. p. 1096, 4 sq.) Itaque quum ethicorum initio ratio habeatur hominis, quatenus est *πολιτικὸν ζῶον* cernaturque in externis actionibus moralis virtus, beatitudo, *τῶν πρακτῶν οὖσα τέλος* (I, 5. fin.), ad virtutem dirigenda est.[3] Sed quemadmodum ultima beatitudinis *πολιτικῆς* (Cf. X, 7. 1177 b, 15) sive *ἠθικῆς* (Cf. X. 8, 1178, 25) ratio in quiete atque otio est, — negotia enim suscipimus ut otiosi simus, veluti bellum non ipsius belli causa gerimus, sed ut pace fruamur, — sic singulis hominibus beatitudo est in otii cujusdam conditione posita,[4] non in hebeti quadam desidia sed in animi quadam operatione, rationi congrua, cujus digna quae afferatur Mureti elegantissima descriptio:[5].. „sapiens, quum a turba secessit, quum ab arbitris et ab interpellatoribus liber alto ac pingui otio frui videtur, tum maxime humana divinaque omnia mente ac cogitatione percurrit, et praeclaris seque dignis occupationibus involutus ea semper meditatur et tractat, quae non uni aut alteri, sed omnibus, neque iis modo, qui nunc

---

[1] Cf. X, 7 — fin: *καὶ τῷ ἀνθρώπῳ δὴ ὁ κατὰ τὸν νοῦν βίος εἴπερ τοῦτο μάλιστα ἄνθρωπος. οὗτος ἄρα καὶ εὐδαιμονέστατος.* [2] Polit. VII, 3. p. 1325 b, 16—21. [3] X, 8. 1178 b, 5: *ᾗ δ' ἄνθρωπός ἐστι καὶ πλείοσι συζῇ, αἱρεῖται τὰ κατ' ἀρετὴν πράττειν· δεήσεται οὖν τῶν τοιούτων πρὸς τὸ ἀνθρωπεύεσθαι.* [4] X, 7. 1177 b, 4. [5] Opp. III. Schol. in Cic. *de offic. p. 822. ed.* Rhunken.

sunt, sed etiam posteris prosint. Neque vero tunc solus est, qui omnis aevi optimos ac sapientissimos quosque intuens et aliorum facta dictaque in memoriam revocans, aliorum libros pervolutans, non minus eorum virtute ac saptentia fruitur, quam si vivorum ac spirantium sermonibus interesset. Non igitur magnificentius quam verius dici potest, tales viros nunquam minus otiosos esse, quam quum otiosi, nunquam minus solos, quam quum soli videntur.“ Hic igitur homini quod inest divinum quoddam spectatur, quo non minus praeter cetera omnia animalia, quam agendi facultate praeter beluas excellit. Quam ob rem homo, quum mens divini sit particeps, qua ex tot animantium generibus naturisque solus uti potest, non in humanas tantum sed etiam, quoad ejus fieri potest, in divinas res et mente et animo insistat vivatque ex ea optima sua parte necesse est. (X, 7, 1177 b, 30—34). Quae *θεωρίας* continuatio deorum est *μακαριότης*, quibus tota vita beata est; hominum autem quo quisque aptior est ad similem deorum vitam degendam resque similes deorum gerendas, eo magis beatus existimandus est, quare beate nunquam beluae vivere possunt quod *θεωρίας* participes non sunt. (X, 8. 1178 b, 24, sqq.). Et sane quidem ejusmodi homini externa bona opus sunt, sane igitur corporis et victus et alius vitae cultus indiget, ut contemplationi totus se dedere possit, quamvis rebus maxime necessariis iisque paucis contentus sit,[1] cujus quidem in ipsa contemplatione est *αὐτάρκεια* posita.[2] Sed, ut unde profecti sumus eo redeamus, rhetoricis, ubi de homine in rebus practicis sive publicis maximo opere versato agitur, tribui beatitudo illa *θεωρητικὴ* non potuit, quoniam definitiones in rhetoricis non deducuntur sed ex vulgarium opinionum copia repetuntur. Talis vero beatitudo abhorret a communi judicio popularique sensu, quem una cum oratoris ad illum accomodato consilio ita servat Aristoteles, ut ne mentionem quidem faciat beatitudinis in anima collocatae. Quodsi vero in rhetoricis nihil aliud ac *τὰ ἔνδοξα* nobis occurrunt, ea tamen non minime quidem ethicorum disputationes necessitudine quadam attingere inveniemus. Namque Aristo-

---

[1] X, 9. p. 1178 b, 33—1179, 6. [2] X, 7. 1177, 27: *ἥ τε λεγομένη αὐτάρκεια περὶ τὴν θεωρητικὴν μάλιστ' ἂν εἴη . . v. 32: ὁ δὲ σοφὸς καὶ καθ' αὑτὸν ὢν δύναται θεωρεῖν.*

teles quum is sit, ut homines ita a natura procreatos esse putet, ut verum et intelligant et plerumque reperiant,[1] in hac re non modo suae artis oratoriae positam esse moralem autoritatem, sed omnem suam philosophandi rationem proficisci ab ea contendit. Nam quum *τὰ ἔνδοξα* aliquid veri semqer habere existimet, penitus illis deliberatis enucleatisque ad suas philosophandi rationes progreditur, quarum cum illis aut consensiones aut dissensiones sibi aut veri aut falsi notae sunt et signa, velut in ethicis quoque Nicomacheis (I, 8 et 9.). Atque de beatitudine quae traditae ac divulgatae sunt opiniones, hic illic vel etiam plerumque recte sentire aperte ait Aristoteles. (Eth. I, 8. p. 1098 b, 28 sq.) In quibus tamen agnoscendis comprobandisque non eo rem perducit, ut bona fide omnes in rhetoricis enumeret non exploratas, sed libentissime sane eas abesse videmus, quas alibi, quum a vero plane distent, rejiciendas esse Aristoteles censuit. Itaque *εὐτυχία* in rhetoricis non nisi pars est beatitudinis (I, 5. 1360 b 23), quum ethica, idem esse ac beatitudinem quosdam statuisse prosperam fortunam, tradant. (I, 9. fin.)[2] Quae sententia refellitur, quod ipsa nimia fortuna impedire potest, quominus beatitudinem consequaris neque jure vocari *εὐτυχία*.[3] Maxime igitur cum ethicorum institutionibus congruunt duae illae quas primas legimus in rhetoricis beatitudinis definitiones: *εὐπραξία μετ᾽ ἀρετῆς* et *αὐτάρκεια ζωῆς*, quae eadem de causa ipsae inter se contingunt. Nam et *αὐτάρκεια* continet perfectionis, *τοῦ τελείου* et *εὖ* notionem: *τὸ γὰρ τέλειον ἀγαθὸν αὔταρκες εἶναι δοκεῖ* (Eth. I, 5 p. 1097 b, 8) et ineunte disputatione omnes idem esse *εὖ ζῆν* et *εὖ πράττειν* confiteri Aristoteles ait (Ibid. I, 2, 1095, 19) iteratque (I, 8 fin.). Prima quidem definitio *εὐπραξία μετ᾽ ἀρετῆς* et illud quod ethica tradunt *ἔνδοξον*, ex quo in virtute sita est beatitudo (I, 9 init.) inter se non discrepant, nisi forte in illa pleonasmum inesse putas. Concludit enim in ethicis Aristoteles virtute et *πράττειν* et *εὖ πράττειν*

[1] Rhet. I, 1. 1355, 15 . . *οἱ ἄνθρωποι πρὸς τὸ ἀληθὲς πεφύκασιν ἱκανῶς καὶ τὰ πλείω τυγχάνουσι τῆς ἀληθείας· διὸ πρὸς τὰ ἔνδοξα στοχαστικῶς ἔχειν τοῦ ὁμοίως ἔχοντος καὶ πρὸς τὴν ἀλήθειάν ἐστιν.* [2] Cf. Xen. Mem. III, 9. §. 14. [3] Eth. VII, 14. p. 1153 b, 21: *διὰ δὲ τὸ προσδεῖσθαι τῆς τύχης δοκεῖ τισι ταὐτὸν εἶναι ἡ εὐτυχία τῇ εὐδαιμονίᾳ, οὐκ οὖσα, ἐπεὶ καὶ αὐτὴ ὑπερβάλλουσα ἐμπόδιός ἐστιν καὶ ἴσως οὐκέτι εὐτυχίαν καλεῖν δίκαιον· πρὸς γὰρ τὴν εὐδαιμονίαν ὁ ὅρος αὐτῆς.*

comprehendi, quum non in possessione sed in usu, non in habitu sed in operatione virtutis vis sit atque auctoritas. Namque etiam otioso homini virtus esse potest, velut dormienti, qui neque ullum bonum efficiat, neque ob hanc ipsam causam beatus vere dicitur (I, 9. 1098b, 31—1099, 2). Quin etiam nihil differre inter eorum qui re vera sint beati dimidium vitae et infelicium (ἀθλίων) hominum traditur, quia illi aeque atque hi somno carere non possint; quae quidem sit animi desidia (I, 13, 1102b 6 sqq.). Ergo vir vere virtute praeditus ac probus agat idemque bene agat necesse est (I,9. 1099, 3: *πράξει γὰρ ἐξ ἀνάγκης καὶ εὖ πράξει*). Qua cum beatitudinis opinione suam ipsius notionem concinere Aristoteles merito contendere potuit (Ibid. 1098b, 30), et de industria illi parem definitionem in rhetorices initio videtur posuisse. Sed qua ratione in ethica satis non erat virtutem esse summam beatitudinis demonstare, sed ex illa animi operationem, eadem in rhetorica, ubi, ut jam dictum est, hujus internae beatitudinis naturae non locus erat, illius munere fungatur *εὐπραξία* oportebat. Qua haud scio an majoris sit momenti ad ethicen comparandam cum rhetorica altera definitio, *αὐτάρκεια ζωῆς*, quae quidem *αὐτάρκεια* maximum ponderis habeat in beatitudine et civili et contemplativa explicanda. (Eth. I, 5. X 7.) Atque consilium Aristotelis in hac quoque re ante omnium oculos positum videtur, quod enumeratis jam beatitudinis partibus, qui his omnibus est imbutus, eum bene res gesturum aut aliud ejusmodi generis non contendit, sed fore *αὐταρκέστατον* (Rhet. I, 5. 1360b, 24). Neque enim *αὐτάρκειαν* Aristoteles in vita solitaria ponit, quae hominis naturae consentanea non sit, quandoquidem homo a natura procreatus est ad civilem societatem, sed in aliorum cum aliis commercio collocatam collaudat ac comprobat atque in mutua inter parentes, liberos, propinquos, amicos, cives consuetudine (Eth. I, 5. 1097b, 8 sqq. IX, 9). Neque enim praeter virtutes, quas quamquam omnium sententiis primum locum obtinere constat, alia modo aliqua, sed omnia illa bona quae tribus bonorum generibus continentur, et corporis et animi et quae extra sunt bona (*τὰ ἐκτός*), qua de re et ab ethica et ab rhetorica docemur, (Eth. I, 8. 1098b, 12 sqq. Rhet. I,5. 1360b, 25. Cf. Polit. VII, 1 1323, 25 sqq.), non requirenda esse censet. Itaque dici potest, quae in rhetorice sint beatitudinis

partes in ethice *αὐταρκείας* esse momenta. Etenim ethica non modo ad beatitudinem comparandam et fruendam postulat quasi quaedam instrumenta ad bene beateque vivendum amicos, divitias, auctoriatem in republica administranda, (I, 5) quas res omnes rhetorice beatitudinis partes esse confirmat, siquidem cum illius *δυνάμει πολιτικῇ* conferamus hujus *δόξαν* et *τιμήν*, sed etiam parentes nobiles, probam prolem, bonos amicos, corporis formam venustam et ejusmodi alias res. (Ibid.) Solitarium enim virum vel ignobilem vel deformem vel liberis carentem non magis beatum esse dixeris quam cui turpes sunt aut liberi aut amici, aut boni morte erepti (I, 9. 1099 b, 3—6). Ejusmodi autem calamitates Priameiis non dissimiles beatitudini obstant. (Cf. I, 11. p. 1101, 7 sq.). Etiamsi plane errares, si beatitudinem casibus fortunisque metiri velles,[1] de quibus poëta:[2]

πολλοῖς ὁ δαίμων οὐ κατ᾽ εὔνοιαν φέρων
μεγάλα δίδωσιν εὐτυχήματ᾽ ἀλλ᾽ ἵνα
τὰς συμφορὰς λάβωσιν ἐπιφανεστέρας,

quandoquidem in fortunae varietate et inconstantia unum eundemque hominem modo beatum modo infelicem, mutabili chamaeleonti similem et fundamento admodum fragili subnixum, dicere potes,[3] unde Solonis error, qui fortunam sequutus neminem ante obitum beatum vocari posse dixit[4] — tamen eorum quoque bonorum quae dicuntur a fortuna tribui indiget vita humana, quamquam praecipua beatitudinis pars in honestis actionibus sita est earumque normis dirigitur.[5] Eum enim qui talem vitam degat parvae atque exiguae res adversae nihil commovent, in magnis gravibusque animi magnitudo, honestas excelsitasque elucet, quum, quoad ejus facere potest, honestis actionibus studeat, veluti peritissimus quisque imperator prout subsidia suppeditant rem quam optime gerit.[6] Ac rhetoricen quidem hoc for-

---

[1] Eth. I, 10. p. 1099 b, 24: *τὸ δὲ μέγιστον καὶ κάλλιστον* (scil. *εὐδαιμονίαν*) *ἐπιτρέψαι τύχῃ πλημμελὲς ἂν εἴη.* I, 11. p. 1100 b, 7 sqq. [2] Rhet. II, 23. p. 1399 b, 22. [3] I, 11. p. 1100 b, 4 sqq. — [4] Michel. ad. Eth. p. 81. [5] I, 11, 1100 b, 7: *ἢ τὸ μὲν ταῖς τύχαις ἐπακολουθεῖν οὐδαμῶς ὀρθόν . . . ἀλλὰ προσδεῖται τούτων ὁ ἀνθρώπινος βίος . . κύριαι δ᾽ εἰσὶν αἱ κατ᾽ ἀρετὴν ἐνέργειαι τῆς εὐδαιμονίας.* [6] L. l. 1100 b, 19—34. v. 35. *τὸν γὰρ ὡς ἀληθῶς ἀγαθὸν καὶ ἔμφρονα πάσας οἰόμεθα τὰς τύχας εὐσχημόνως φέρειν καὶ ἐκ τῶν ὑπαρχόντων ἀεὶ τὰ κάλλιστα πράττειν, καθάπερ καὶ στρατηγὸν ἀγαθόν κτλ.*

tunae momentum non praetermisisse consentaneum est: attamen quomodo aut illa aut qualibet beatitudinis parte subjective, ut ita dicam, afficiamur ostendere ejus non est, sed satisfactum esse putat et quis et qualis quaeque sit et qua ratione homines qui cujusque sunt participes alii ad alios sese habeant, omissa earum ad vitam beatam subjectiva vi ac potestate. Nam quum ethices sit docere, quomodo agendum sit,[1] rhetorice qua ratione homines agere soleant enarrat, neque, homines ipsa bonorum possessione, auctoritate et prospera fortuna ad turpiter agendum impelli, reticet,[2] quod plerique bonorum usui neque ratione neque virtute modum constituunt. Atqui neque sola virtus neque bonorum possessio, quantacunque est, diurna sed diuturna beatitudinem efficit; ut una hirundine ver nondum efficitur sic ne una quidem dies beatum aliquem reddit (Eth. I, 6 fin.). Vitae igitur spatio quodam perfecto atque constituto opus est ad beatitudinem (Ibid. 1098, 18), prima tamen ratione habita aetatis puberis, quum puer beatus esse nequeat, quoniam honeste agendi imperitus est.[3] Idem fere significat momentum *εὐγηρίας*, quam rhetorice beatitudinis partem constituit. Nemo enim illum beatum dixerit, qui, quamvis maxime fortunatus, in Priameias calamitates senex inciderit. (Eth. I. 10 fin.) Et beatum quidem neminem esse nisi qui stabilia et perpetua obtineat bona etiam rhetorice vult, quae non in possessione sed in usu et agendo illorum vim et dignitatem ponit, ut est in ejus beatitudinis extrema definitione: *εὐθηνία κτημάτων καὶ σωμάτων μετὰ δυνάμεως φυλακτικῆς και πρακτικῆς τούτων.* Ceterum quum nihil aliud quam bona externa spectet, eam in *ἐνδόξων* numero postremum obtinere locum convenit. At prima quidem beatitudinis definitio virtutem aperte postulat, in altera virtus saltem conclusione efficitur, quum *εὖ ζῆν* idem sit ac *εὖ πράττειν*, quod inest in virtute ex eaque necessario provenit exoriturque, (Cf. sup. p. 27), tertia denique: *ὁ βίος ὁ μετ᾽ ἀσφαλείας ἥδιστος* nequaquam idem est atque *ὁ βίος ἀπολαυστικὸς* quem vulgares plebejique homines

---

[1] II, 2 init: *ἀναγαῖόν ἐστι σκέψασθαι τὰ περὶ τὰς πράξεις πῶς πρακτέον αὐτάς.* [2] Rhet. I, 12. II, 5. 1383. II, 15—17, quorum summa haec est: *ὡς γὰρ ἐπὶ τὸ πολὺ ἀδικοῦσιν οἱ ἄνθρωποι ὅταν δύνωνται.* II, 5 p. 1382 b, 9. [3] Eth. I, 10. 1100, 1: *διὰ ταύτην δὲ τὴν αἰτίαν οὐδὲ παῖς εὐδαίμων ἐστίν· οὔπω γὰρ πρακτικὸς τῶν τοιούτων διὰ τὴν ἡλικίαν.*

ventris ac libidinibus servientes sequuntur, servorumque modo et ritu pecudum vitam degunt. (Eth. I, 3 init). *Ἀσφάλεια* enim non modo ad personae ejusque bonorum incolumitatem sed etiam ad animi firmitatem pertinet[1] qua homo prohibetur, ne voluptates, quae naturae repugnare videantur, expetat. Hominum autem multitudo ea esse jucunda existimat, quae e sua ipsorum natura jucunda non sunt, unde fit, ut cum voluptate certet.[2] **Voluptas** vero ipsa tantum abest, ut ab Aristotele ex beatitudinis bonique natura expellatur, ut moralium ejus sententiarum convenientiam et quasi concentum, quem in Graecorum artibus tantopere admiramur, efficiat. Quare etiam, ut aliud omittam, Kantianam morum doctrinam, quae officium voluptatemque bellum inter se sine missione gerere docuit, praestat Aristoteles, qui quidem haud illo segnius solutiusve „categoricum, quem dicit, imperativum rationisque humanae libertatem plurimi faciat."[3] Sicuti Graecorum artes liberales ingeniorum virtutumque perfectionis speciem et formam invenerunt maximeque consummarunt, hominumque naturam duabus illis maxime rebus compositam esse rati, immortalem sibi gloriam pepererunt, ita Aristoteles rerum et ab animo et a corpore profectarum concentu consensuque comparato, eas quoque quae ad sensus magis pertinent ad honestatis nobilitatem ita erexit, ut voluptas ipsa humanarum virtutum, quod quidem ipse censet, documentum sit. Eadem enim ratione qua artifex gaudet opere perfecto, quippe quod bonum suum putet esse, (Eth. I, 6. init.) honestus quoque vir ac probus virtute decorisque actionibus laetatur, neque unquam bonus erit, nisi qui ex honestis actionibus gaudium ceperit. (Ibid. I, 9 p. 1099, 17—21). Itaque voluptas bonum est proprium vitae beatae, non adventicium neque foris petitum, cujus tamquam appendicis cujusdam egeat,[4] sed voluptatem in se

---

[1] „*Ἀσφάλεια* dicitur in philosophia morali de universa animi constantia." Schweigh. Cf. Slephan. thes. vol. I, 2 ed. Paris. p. 2309 [2] Eth. I, 9. p. 1099, 12: *τοῖς μὲν οὖν πολλοῖς τὰ ἡδεά μάχεται διὰ τὸ μὴ φύσει τοιαῦτ᾽ εἶναι* . . [3] Sic vernacule quidem Brandis. „Uebersicht über das aristotelische Lehrgebäude." p. 144. — Trendelenb.: Herbart etc. p. 33: „Es liegt das von Kant durchgeführte Allgemeine in der von Aristoteles bezeichneten Herrschaft des Denkens; denn das Denken ist nur, insofern es des Allgemeinen theilhaft ist, Denken." [4] IX, 9. 1169 b, 26.

ipsa habet. (L. l. 15 sq.) Namque beatitudo honestis actionibus continetur in iisque inest, quibus per se nihil jucundius esse potest (Ibid. 14. sq.), quasque — ut Aristotelis ad alium locum adhibito exemplo utar — voluptas non sequitur, veluti e discendo exoritur scientia, sed cum quibus tam arcte necessarioque conjuncta est quam cum valetudine vita. (Rhet. I, 6. 1362, 31). Sunt autem qui voluptatem bonum esse negent. Atqui omnes vitam beatam esse jucundum quasi quoddam arbitrantur suoque jure beatitudinem cum voluptate connectunt.[1] Qui vero jucunda esse potest vita beata, si voluptas bonum non est?[2] Eadem deinde ratione, qua qui voluptatem bonum esse negat, Eudoxus, qui summum bonum esse voluit, errat. Atque hoc ita non esse jam ex eo colligitur quod genere est diversa et voluptates quaedam plane fugiendae sunt et, ut jam Plato ipsius Eudoxi argumentum refutat et advocat retorquetque adversus illum ipsum, voluptas quocunque bono addito optabilior fit, id quod summo bono repugnat. (Eth. X, 2. 1172b, 25–34)[3] Omnes vero philosophorum hac de re dubitationes et errores partim ex eo proveniunt, quod voluptatem esse motum et ortum neque unquam propter id ipsum perfectam et terminatam esse putant,[4] partim quod varia voluptatis genera non dijudicantes, omnem voluptatem cum dolore, quem illa sequatur, conjunctam esse contendunt,[5] partim denique quod ea quae voluptate eveniunt spectantes, hanc ipsam rejiciunt, quoniam sunt, quae hominibus perniciosae ac pestiferae esse possint. Sed his quidem contradici potest, etiam alia bona, veluti divitias hominibus nocere eosque perdere posse, vel castissimum hominum agendi genus, contemplationem valetudini interdum noxiam fieri.[6] Estque sane perquam recte Eudoxi argumentum quod omnibus inest animantibus, sive qui ratione utuntur sive qui carent, studium voluptatis. (X, 2.1172b, 35sqq.) At dixerit quispiam, prudentem ac

---

[1] VII, 14. 1154b, 14. [2] L. l. 1154: *εἰ μὴ ἡδονὴ ἀγαθὸν . . . οὐκ ἔςται ζῆν ἡδέως τὸν εὐδαίμονα.* [3] Cf. Michel. ad. Eth. p, 385. — Giphan. p. 775. — Spengel. Abhandl. III, 528. [4] VII, 12. p. 1152b, 12—14. — X, 2. 1173, 29: *τέλειόν τε τἀγαθὸν τιθέντες, τὰς δέ κινήσεις καὶ τὰς γενέσεις ἀτελεῖς, τὴν ἡδονὴν κίνησιν καὶ γένεσιν ἀποφαίνειν πειρῶνται.* [5] L. l. 1173 b, 7: *καὶ λέγουσι δὲ τὴν μὲν λύπην ἔνδειαν τοῦ κατὰ φύσιν εἶναι, τὴν δ' ἡδονὴν ἀναπλήρωσιν.* [6] VII, 13. 1153, 17. sqq.

temperantem virum non ea petere quae jucunda sunt, sed quae dolore vacant: is tamen voluptatis generibus non distinctis ad corporis tantum voluptates id pertinere negligit, quarum immoderatio perniciei sit.[1] Ejusmodi enim voluptatibus dolor, quae quasi est inopia et indigentia, praegreditur; quae cupido si expletur efficit, ut dolor evanescat. Sed ne hoc quidem omnino esse verum dici potest. Namque si voluptas indigentiae expletio esset, id quod expletur i.e. corpus gaudere oportebat, quod non ita est: immo etiam postquam expletio facta est animus voluptate afficitur.[2] Estque autem castior, praeclarior, nulla ex indigentia orta voluptas, quae nullum propter id ipsum dolorem sequatur: ea enim, qua philosophus cogitando et contemplando, omnes humanas divinasque res pervestigando, artifex opere suo fabricando, virtute praeditus homo honestis actionibus edendis afficitur. Qui ejusmodi voluptatibus affecti sunt non magis praesentiebant dolorem quam qui ex odoratu, auditu, visu voluptates percipiunt (X, 2. 1173 b, 16—20). Praeterea autem nulla voluptas sive ortus sive motus est. Ortus sive partus propterea non est quod dolor ejus rei finis esset, cujus voluptas est ortus; atqui voluptates sunt, ut commemoravimus, ejusmodi quibus dolor non praegressus sit.[3] (Ibid. v. 4—7). In omni autem motu terminus a quo oriatur et terminus ad quem perveniat cernitur neque nisi singulis temporis punctis, neque ullo temporis momento ita ut genere quidem perfectum quoddam sit, ejusdemque propria est celeritas atque tarditas. At voluptas aut per longius aut per brevius tempus adfuisse potest atque aut celeriter

---

[1] VII, 13. 1153, 27: *τὸ δὲ τὸν σώφρονα φεύγειν καὶ τὸν φρόνιμον διώκειν τὸν ἄλυπον βίον* (c. 12. 1152 b, 14: *ἔτι ὁ φρόνιμος τὸ ἄλυπον διώκει οὐ τὸ ἡδύ*) . . . *τὴν τούτων ἀλυπίαν ὁ φράνιμος, τὰς μετ᾽ ἐπιθυμίας καὶ λύπης καὶ τὰς σωματικὰς* (*τοιαῦται γὰρ αὗται.* scil. *τῶν παιδίων καὶ θηρίων*) *καὶ τὰς τούτων ὑπερβολὰς, καθ᾽ ἃς ὁ ἀκόλαστος, ἀκόλαστος. διὸ ὁ σώφρων φεύγει ταύτας, ἐπεί εἰσιν ἡδοναὶ καὶ σώφρονος.* [2] X, 2, 1173 b, 7 sqq. v. 9: *εἰ δή ἐστι τοῦ κατὰ φύσιν ἀναπλήρωσις ἡ ἡδονὴ, ἐν ᾧ ἀναπλήρωσις τοῦτ᾽ ἂν καὶ ἥδοιτο· τὸ σῶμα ἄρα· οὐ δοκεῖ δέ· οὐδ᾽ ἔστιν ἄρα ἀναπλήρωσις ἡ ἡδονή, ἀλλὰ γινομένης μὲν ἀναπληρώσεως ἥδοιτ᾽ ἄν τις καὶ τεμνόμενος* (*δεόμενος* conjec. Zeller. Philos. d. Griech. p. 477. not. 2, *κενούμενος* Spengel. Abhandl. etc. III, Anhang. p. 531. not.) *λυποῖτο.* Cf. Zell. ad Eth. p. 433. [3] Sic iste locus supplendus esse nobis videtur, siquidem ad Aristolelis sententiam aspirare possumus. Cf. et. h. p. not. 2.

aut tarde ad eam traduci possumus, sed ipsum gaudium i. e. operandi genus ex voluptate (*ἐνεργεῖν δὲ κατ' αὐτήν*) omni temporis puncto perfectum est neque ullo aut augeri aut imminui potest, veluti videndi actio semper perfecta et finita est. (Cf. X, 2. 1173, 31—b, 4. X. 3 init.) In voluptate autem terminus neque a quo oriatur neque ad quem perveniat animadverti potest, neque aliter ea se habet ac punctum et unitas, quae vocatur, quae neque oriuntur neque moventur, sed ipsa quasi *τέλος* sunt (X, 3 fin. VII, 13, 1153, 9 sqq.). Itaque pro sensibili motione rectius voluptatem dixeris operationem non impeditam. Qui illud definierunt errore ducti motionem et operationem idem esse putaverunt (VII, 13, 1153, 12—15). Sed in omni actione motio non inest, verum in nonnullis etiam quies. (Ibid. c. 15. 1154 b, 26 sq.) Verumtamen ne actio quidem voluptas recte dicitur, quoniam neque cogitatio neque sensus ipse voluptates sunt, sed quod haec ab illa separari nequit eo adducti sunt homines quidam, ut idem esse putarent. (X, 5, 1175b, 33 sqq.) Sed voluptas tam arcte cum operatione conjuncta est, ut sine operatione voluptas non sit, quae quidem illam perficiat.[1] Atque non aliter se habent ipsae voluptates, quae sensu percipiuntur. Sentire enim est actio alicujus sensus, quae ad eam rem quae sentitur pertinet, et quo melior sensus, quoque praeclarius et pulchrius sese habet id quod sensui objectum est, eo perfectior est ipsa actio et, quam complectitur, voluptas, ut quum maxime perfecta sit animi ac mentis agitatio hujus quoque voluptatem perfectissimam esse oporteat.[2] Inde igitur, ex diversis singulorum sensuum et mentis actionibus, diversa voluptatis genera proficiscuntur. Omnis enim actionis voluptas propria est, qua ipsa perficiatur et augeatur.[3] Quare gaudio quo de honestis ac-

---

[1] X, 5 init: *ἄνευ τε γὰρ ἐνεργείας οὐ γίνεται ἡδονὴ, πᾶσαν τε ἐνέργειαν τελειοῖ ἡ ἡδονή.* [2] X, 4 init: *αἰσθήσεως δὲ πάσης πρὸς τὸ αἰσθητὸν ἐνεργούσης, τελείως δὲ τῆς εὖ διακειμένης πρὸς τὸ κάλλιστον τῶν ὑπὸ τὴν αἴσθησιν· τοιοῦτον γὰρ μάλιστ' εἶναι δοκεῖ ἡ τελεία ἐνέργεια· καθ' ἕκαστον δὲ βελτίστη ἐστὶν ἡ ἐνέργεια τοῦ ἄριστα διακειμένου πρὸς τὸ κράτιστον τῶν ὑφ' αὐτήν· αὕτη δ' ἂν τελειοτάτη εἴη καὶ ἡδίστη· κατὰ πᾶσαν γὰρ αἴσθησίν ἐστιν ἡδονή, ὁμοίως δὲ καὶ διάνοιαν καὶ θεωρίαν, ἡδίστη δ' ἡ τελειοτάτη, τελειοτάτη δ' ἡ τοῦ εὖ ἔχοντος πρὸς τὸ σπουδαιότατον τῶν ὑφ' αὐτήν· τελειοῖ δὲ τὴν ἐνέργειαν ἡ ἡδονή.* [3] X, 5. 1175 21: *ὅθεν δοκοῦσι καὶ τῷ εἴδει διαφέρειν· (αἱ ἡδοναί). τὰ γὰρ ἕτερα τῷ εἴδει ὑφ' ἑτέρων*

tionibus et mentis operationibus afficimur ad ejusmodi alias actiones incitamur.[1] Contra alterius operationis voluptas ab aliena alterius propria voluptate corrumpitur. Itaque musicus qui audito philosopho laetatus est, ab hac actione desistit, si quem subito tibia canentem audiat, quod magis delectatur, quam professus est, musica, quam philosophia.[2] Voluptas igitur perficit actionem, neque tamen ea ratione qua vis quaedam animi ad rem aliquam directa, nimirum quum utraque perfecta sit, habitusque, qui homini insit, sed *ὡς ἐπιγιγνόμενόν τι τέλος*, velut corpori vigenti aetatis flos inest.[3] Idcirco omnes voluptatem quaerere consentaneum est. Nam quum cujusvis hominis vita actio quaedam sit, quam ipsa voluptas consummat omniaque ad vitae perfectionem spectent, fieri non potest, quin omnia voluptatem magnopere expetant atque quaerant. (Cf. IX, 9, 1170, 19. X, 4, 1175, 10 sqq.) Omnibus enim natura divinum quoddam insitum est quod quidem voluptatis turpi ac vitioso studio obscuratur atque detrahitur. (Cf. VII, 14, p. 31—35). Atque haud scio an 'in vilibus abjectisque quoque animalibus naturale ullum bonum insit quod melius est quam per se ipsa sunt illa, quodque sui proprium expetit bonum.[4] Hominum igitur multitudo, quia quae natura sunt per se jucunda non inquirunt, cum voluptatibus fere certant ac depugnant. Sunt enim amor et gaudium pulchri honestique, quae excitantur oriunturque ex eo quod per se e sua ipsius natura voluptatem affert et tribuit.[5] Quemadmodum einm actiones inter se differunt et ho-

---

οἰόμεθα τελειοῦσθαι . . . ὁμοίως δὲ καὶ τὰς ἐνεργείας τὰς διαφερούσας τῷ εἴδει ὑπὸ διαφερόντων εἴδει τελειοῦσθαι. διαφέρουσι δ' αἱ τῆς διανοίας τῶν κατὰ τὰς αἰσθήσεις καὶ αὐταὶ ἀλλήλων κατ' εἶδος· καὶ αἱ τελειοῦσαι δὴ ἡδοναί. φανείη δ' ἂν τοῦτο καὶ ἐκ τοῦ συνῳκειῶσθαι τῶν ἡδονῶν ἑκάστην τῇ ἐνεργείᾳ ἣν τελειοῖ. συναύξει γὰρ τὴν ενέργειαν ἡ οἰκεία ἡδονή· μᾶλλον γὰρ ἕκασταl ιкρίνουσι καὶ ἐξακριβοῦσιν οἱ μεθ' ἡδονῆς ἐνεργοῦντες κτλ. Hic locus ostendit, quantum distet Aristotelis ipsius a Schleiermacheri sententia: „Aristoteles begleitete die eigenthümliche Lust nicht durch das allmälige Fortschreiten einer jeden Handlung, sondern erblickte sie nur am Ende.“ Vid. „Grundlinien einer Kritik der bisherigen Sittenlehre“ ed. II. p. 174. Jam Giphanius hac de re recte sentiens, actionis, inquit, comes est voluptas.

[1] Cf. 1175b, 13 sqq. VII, 13. 1153, 20 sqq. [2] X, 5. 1175b, 3 sqq. [3] X, 4. 1174b, 23. [4] X, 2. 1173, 4. [5] I, 9. p. 1099, 11: *τοῖς μὲν οὖν πολλοῖς τὰ ἡδέα μάχεται διὰ τὸ μὴ φύσει τοιαῦτ' εἶναι, τοῖς δὲ φιλοκάλοις ἐστὶν ἡδέα τὰ φύσει ἡδέα.*

nestate et turpitudine, quemadmodum aliae expetendae aliae fugiendae, aliae indifferentes sunt, sic se habent voluptates, quoniam suam cuique actioni ita voluptatem esse jam supra diximus, ut alii alia et functio muneris et voluptas sit animali. (Cf. X, 5, 1, 1175 b, 24—27. 1176, 3sq.) Quodsi igitur vir bonus ac virtute praestans omnium rerum quae ad honestatem pertinent quasi quidam modus ac ratio esse vere dicitur, ea vera voluptas quae illi ipsi esse talis videtur eaeque res jucundae quibus ipse delectatur vere sunt judicandae recteque aestimandae, itaque delectatio honestarum actionum omnino moralis est.[1] (Cf. X, 5. 1176, 17—19. — 24—28). Quae actio quo magis ad summa atque in omni re perfecta perveniat, eo perfectior consummatiorque illius propria voluptas erit. Quare quum beatitudo sit actio, quae e virtute perfecta geritur, eam quoque quae huic inest voluptatem maxime esse perfectam liquet. (Ibid.). Quamquam non plebeji tantum homines sed etiam penes quos principatus est, sincera et liberali voluptate relicta, ad corporis voluptates confugiunt, tamen has anteponendas esse illis dici non licet (X, 6. 1176b, 19—21). Ea enim voluptas, quam isti diligunt, honesti viri prorsus non comprobant, per se non est jucunda, sed iis tantum qui moribus jam corruptis sunt;[2] haud secus atque aegrotis et sanis hominibus eaedem res non eodem aut dulci aut amaro sapore sunt, et oculis laborantibus hominibus quod sanis album idem non apparet.[3] Atque ut aliud *τίμιον* pueri aliud viri existimant, sic et turpes et boni homines faciunt (X, 6 1176 b, 23—26). Sed id quod vere honestum apparet nihil aliud est quam quod vir probus ac virtute praeditus collaudat atque comprobat.[4] (X, 6, 1177 b, 25). Quodsi quis quaerit, cur tandem fiat, ut nemo continenter assidueque voluptate affectus est, ex his hactenus disputatis facile intelligi potest. Voluptas enim actione continetur, actio autem bona existere nequit nisi qnamdiu res quae aut sentitur aut cogitatur et hujus propria humana vis optime se habent: idque pro-

---

[1] X, 5. 1175 b, 27: *ἡ μὲν οὖν τῇ σπουδαίᾳ (ἐνεργείᾳ) οἰκεια (ἡδονὴ) ἐπιεικής, ἡ δὲ τῇ φαύλῃ μοχθηρά.* [2] Ibid. 1176, 19 sqq. [3] X, 2. 1173 b, 22 sq. [4] IX, 9. 1170, 8: *ὁ γὰρ σπουδαῖος, ᾗ σπουδαῖος, ταῖς κατ' ἀρετὴν πράξεσι χαίρει, ταῖς δ' ἀπο κακίας δυσχεραίνει, καθάπερ ὁ μουσικὸς τοῖς καλοῖς μέλεσιν ἥδεται, ἐπὶ δὲ τοῖς φαύλοις λυπεῖται.*

pter humanam varietatem et imbecillitatem semper ac continenter fieri nequit.[1] Dii quidem, qui perpetuae operationi vacant, voluptate dulcissima semper fruuntur: cujus rei hominum genus non particeps, quod ejus natura non simqlex est atque hac de causa aliquando deleatur necesse est. (VII, 15, 1154 b, 24—27). Quo etiam fit, ut quoad res sunt novae delectent, postea, cum remissior adhibeatur operatio, voluptas languescat et procedente tempore prorsus evanescat (X, 4. 1175, 6—10.). Qui tamen is est, quem tantopere variatio delectet, ut ejus saepe indigeat, ut est in proverbio, vir probus ac spectatae naturae indolisque censendus non est.[2]

Atque hanc quidem difficillimam et subtilem Aristotelis de voluptate disputationem, quae est in ethicis, totam et continuam haud scio an ultra propositi modum explicare conati simus, quod a rhetoricorum definitione plane aliena est ideoque nobis cavendum erat, ne singulorum comparatione, universa auctoris nostri doctrina non percepta et perspecta, res obscuretur magis quam illustretur. Nam quum Aristoteles in ethice Platonis de voluptate sententiam impugnet, in rhetorice definitionem cum illa fere consentaneam prodit. Atque etsi admodum inepte interpretes quidam priores Aristotelem sibi ipsum contradicere objiciunt, quos quidem Giphanius recte refellit,[3] idque eo majore jure, quod noster non modo per vocabulum ὑποκείσθω[4] se non suas ipsius definitiones traditurum esse significat, sed etiam haud sane temere, disputatione ineunte, iis definitionibus contentos esse nos oportere profert, quae neque exquisitae sint neque obscurae,[5] — tamen merito quispiam quaesiverit, cur adversarii ipsius definitionem tueatur. Sed praeterquam quod Platonis definitio re vera admodum perspicua est popularemque ad intelligentiam maxime accommodata ac certo tum divulgatissima,[6] ne in ethice quidem Aristoteles voluptatem

---

[1] X, 4. 1175, 4: *πάντα γὰρ τὰ ἀνθρώπεια ἀδυνατεῖ συνεχῶς ἐνεργεῖν. οὐ γίνεται οὖν οὐδ' ἡδονή· ἕπεται γὰρ τῇ ἐνεργείᾳ*. 1174 b, 33: *ἕως ἂν οὖν τό τε νοητὸν ἢ αἰσθητὸν ᾖ οἷον δεῖ καὶ τὸ κρῖνον ἢ θεωροῦν, ἔσται ἐν τῇ ἐνεργείᾳ ἡ ἡδονή.* [2] VII, 15. 1154 b, 28—31. [3] Ad Eth. p. 781. [4] Rhet. I, 11 init. [5] I, 10 fin. [6] Sic etiam Brandis. Philol. IV. p. 26: „weil es ihm auf eine leicht fassliche erklärung ankam, bei der der streitige punkt nicht in frage kommen konnte.“

distincte definit, sed ejus naturam et effectus explicat. Quodsi septimo ethices libro (Cap. 13) legitur, voluptatem rectius dici posse *ἐνέργειαν τῆς κατὰ φύσιν ἕξεως ἀνεμπόδιστον* quam *γένεσιν εἰς φύσιν αἰσθητήν*, haec quidem definitio Platonicae ut minus falsa opponitur, quam tamen ipse Aristotes postea convellit, voluptatem *ἐνέργειαν* esse negans. (Cf. sup. p. 33) Praeterea Aristoteles in illa priore de voluptate disputatione cum Platone ex aliqua parte consentit, ita ut certe *κατὰ συμβεβηκὸς αἱ καθιστᾶσαι (γενέσεις, κινήσεις,)* [1] *εἰς τὴν φυσικὴν ἕξιν ἡδεῖαι* sint. (VII, 13 p. 1152b, 34). Sed ita non omnes voluptates se habent. Aristoteles enim, ut vidimus, omnino duo voluptatum genera esse constituit, quorum alterum ejusmodi voluptates comprehendit, quae cum dolore quodam, quoniam dolor praeierit, conjunctae sint, alterum, quae omni dolore, qui non praesentiatur, vacent, et haec quidem voluptatum genera Plato quoque agnoscit. [2] Dolor quidem in indigentia, *ἐνδείᾳ* quadam, sive, ut Plato dicit, in *κενώσει* positus est, cujus expletio, *πλήρωσις*, (Cf. Phileb. p. 31, 32, 34 al.) sive, ut Aristotelis verbum afferam, *ἀναπλήρωσις*, voluptatem efficit. Sed quum et sensuum quorundam veluti odoratus actiones et mentis operationes quaedam jucundae sint, quibus quidem, quum nulla indigentia sit, nullus dolor praecesserit, rhetorices, Platonicae consentanea, [3] definitio, voluptatem esse *κίνησίν τινα τῆς ψυχῆς καὶ κατάστασιν ἀθρόαν καὶ αἰσθητὴν εἰς τὴν ὑπάρχουσαν φύσιν*, in hoc posterius voluptatis genus non cadit. Neque enim si naturalis status non movetur et labefactatur, restitutio fieri potest. Consentanea autem est illi e dolore nato voluptatis generi definitio, certe *κατὰ συμβεβηκός* i. e. *ἐνεργείαις* sese dirigens: *ἐπεὶ τοῦ ἀγα-*

---

[1] Michel. ad Eth. p. 320 recte suppleat „*ἐνέργειαι*“ nescio. [2] Cf. Phileb. p. 51. Republ. IX. p. 584. 586. II, init. p. 357. [3] Spengel. quamquam Aristotelem hac in re Platoni contradicere aliquando negavit, (Cf. Abhandl. III. p. 522 sqq. et 532) id tamen nupperime in adnott. ad Rhet. p. 158 concedit. Neque enim voluptatum generibus, sed ipsa voluptatis natura. Est enim in Phileb. p. 42: *εἰς δέ γε τὴν αὐτῶν φύσιν ὅταν καθίστηται ταύτην αὖ τὴν κατάστασιν ἡδονὴν ἀποδεξάμεθα παρ' ἡμῶν αὐτῶν.* p. 53: *ἆρα περὶ ἡδονῆς οὐκ ἀκηκόαμεν ὡς ἀεὶ γένεσίς ἐστιν;* . . adde p. 34: *τὸ δὲ ἐν ἑνὶ πάθει τὴν ψυχὴν καὶ τὸ σῶμα κοινῇ γιγνόμενον κοινῇ καὶ κινεῖσθαι, ταύτην δ' αὖ τὴν κίνησιν ὀνομάζων αἴσθησιν . . . οὐκ ἀπὸ τρόπου φθέγγοι' ἄν.*

θοῦ τὸ μὲν ἐνέργεια το δ᾽ἕξις κατὰ συμβεβηκὸς αἱ κάθιστᾶσαι εἰς τὴν φυσικὴν ἕξιν ἡδεῖαί εἰσιν, ita ut et *αἱ κινήσεις καὶ αἱ γενέσεις καὶ αἱ φαῦλαι δοκοῦσαι εἶναί, αἱ μὲν ἁπλῶς φαῦλαι, τινὶ δ᾽οὔ, ἀλλ᾽ αἱρεταὶ τῷδε, ἔνιαι δ᾽οὐδὲ τῷδε ἀλλὰ ποτὲ καὶ ὀλίγον χρόνον, αἱρεταὶ δ᾽οὔ. αἱ δ᾽οὐδ᾽ ἡδοναὶ ἀλλὰ φαίνονται ὅσαι μετὰ λύπης καὶ ἰατρείας ἕνεκεν, οἷον αἱ τῶν καμνόντων.* (VII, 13. 1152 b, 28—35) Itaque et Platonis et rhetorices definitio non *ἀκριβὴς* est, quod unum modo voluptatis genus complectitur. Sed libro decimo ubi subtilius et exquisitius hac de re disputatur, Aristoteles voluptatem, quum *ἀναπλήρωσιν* — quod idem fere est ac *κατάστασις εἰς φύσιν* — esse negaverit (X, 2. 1173b, 9 sqq. cf. sup. p. 32)', expletionem sequi ac nos effecta expletione tum demum voluptate affici contendit. Deinde, quomodo Aristoteles eos qui voluptatem vel *κίνησιν* vel *γένεσιν* esse putant,[1] refutarit, jam supra declaratum est. Ex Aristotelis igitur sententia voluptas ut expletionis ita motionis et ortus consecutio est. Quare de rhetorices definitione recte Giphanius[2]: „Igitur subjectum, ait, in quo voluptas est, attribuitur ipsi voluptati; sed improprie;“ postquam enim subjectum in statum naturae convenientem restitutum est, voluptate afficitur, quae non ipsa restitutio est, sed restitutionis effectus. Itaque consentit quidem cum Aristotelis ipsius sententia *ἡδὺ εἶναι*, ut est in rhetorice,[3] *τὸ εἰς τὸ κατὰ φύσιν ἰέναι* neque vero hanc *κατάστασιν* ipsam esse voluptatem. Sed rhetorices nihil interest, ut veram atque integram habeat definitionem, sed sibi satis est fundamentum posuisse (*ὑποκείσθω*), e quibus ea quae jucunda sunt, *τὰ ἡδέα*, deducat. Neque enim rhetorices est moralem voluptatis vim atque dignitatem ostendere, — id quod ethice propositum est — sed haud ignorans homines quum sponte agant aut utile quid aut jucundum petere solitos esse, quam multae res ejusmodi sint describendum est.[4] Itaque rhetorice hujus rei, ut ita dicam, psychologico-practicum magis tractat, ethica autem voluptatis et originem et gravitatem moralem exponit: haec igitur quod veram ac sinceram vo-

---

[1] Hos esse Aristippeos adnotat Trendelenb. „De Platonis Philebi consilio“ p. 9. not. 19. Perstringit enim hos *κομψοὺς* homines et Plat. Phileb. p. 53. [2] Ad Eth. p. 781. — [3] Rhet. I, 10. p. 1370, 3. [4] Rhet. I, 10. p. 1369 b, 28 sq.

luptatem afferat quibusque homines gaudere debeant, illa quod suave esse hominibus soleat ostendit. Quam severa et honesta est Aristotelis voluptatis doctrina, qui homines propter turpitudinem variatione delectari dicat! (Eth. VII, 15 fin.). In rhetorice deinde hujus rei causam affert, quae eadem ad constitutam definitionem refertur, nos mutando in statum naturae convenientem traduci: perpetuo enim eodem in statu permanere taedium tribuere hominibus ac molestiam (I, 11 1371, 26 sqq.), quamquam quae sit hujus ocblectationis generis ad honestatem ratio non commemorat. Idem in utrisque libris omnes sui amantes esse tradit; in rhetorice quidem ex simili et propinquo repetit Aristoteles sui ipsius amorem, quod jucundum sit: itaque quemque ipsius maxime inflammatum esse studio (Rhet. p. 1371 b, 18). In ethica autem, cujus est, quid sui ipsius amor moralis et honesti momenti habeat significare, solum virum bonum sui amantem esse decere profitetur, malum negat. (Eth. IX, 8. 1169, 11—15). Atqui etiam rhetorice honestissimas voluptates haud ignorat, veluti discendi voluptatem et admirandi, quod in admiratione insit quaedam discendi cupiditas. (I, 11. 1371, 31). Sed quum definitionem initio posuerit, ad quam omnia in quibus voluptas inest referenda sint, ne distinguit quidem Aristoteles et voluptates quae per se jucundae sint i: e. quae nullo dolore remoto appareant et quibus dolor praecesserit, sed promiscue omnia quae suavia sunt enumerat, quamquam definitionem nisi in hoc postremum voluptatis genus non convenire vidimus. Sic discere quoque jucundum esse argumentatur quia *εἰς τὸ κατὰ φύσιν καθίστασθαι* sit: [1] quod quidem rectum esset, si conditio quaedam naturae repugnans i. e. indigentia praesentiretur, neque tamen id in discendo opus est, ejusque voluptas ex ipsa re effici potest. Alia vero rhetoricae inest, non voluptatis quidem, sed eorum quae jucunda sunt divisio, quae in cupiditatum modis generibusque sita est. Nam quum cupiditas sit jucundi appetitio, omnia quae cupimus jucunda sunt. Cupiditatum autem aliae rationis expertes aliae participes sunt; expertes sunt, quae naturales vocantur et quae corporis sunt neque ex opinione quadam, *ἐκ τοῦ ὑπολαμβάνειν*

---

[1] I, 11. p. 1370, 33. —

τι, nascuntur; rationis participes, quae e persuasione quadam, *ἐκ τοῦ πεισθῆναι*, exortae sunt.[1] Quam vero partitionem ethice eo minus perceptam habet, quo quod voluptate afficiamur, non ut rhetorice in eo positum esse censet, ut *πάθος* aliquid sentiatur,[2] ex quo necessario sequitur, ut etiam recordationis et spei voluptates in sentiendo quodam consistant, quod per phantasiam, sensum illum imbecillum, fit, sed in operatione. Quare operae pretium erit locum quendam ex ethicis repetere, ut alii, qui in rhetoricis inest idemque fere complectenti, eum opponamus. Est enim in ethicis (IX, 7, 1168, 13): *ἡδεῖα δ'ἐστὶ τοῦ μὲν παρόντος ἡ ἐνέργεια, τοῦ δὲ μέλλοντος η ἐλπὶς, τοῦ δὲ γεγενημένου ἡ μνήμη* . . . in rhetoricis (I, 11. 1370, 32): *ἀνάγκη πάντα τὰ ἡδέα ἢ ἐν τῷ αἰσθάνεσθαι εἶναι παρόντα ἢ ἐν τῷ μεμνῆσθαι γεγενημένα ἢ ἐν τῷ ἐλπίζειν μέλλοντα.* Ibi enim multo magis proprie et recordationis et spei momentum cum voluptate conjunctum esse contenditur, hic res ipsae quas sperant homines quarumque recordantur improprie dicuntur suaves esse, ita ut, quum jucunda recordatu sint non ea tantum quae, quum praesentia essent, suavia sint existimatae, sed et quaedam non suavia, si quid ex iis postea pulchri bonique consequutum sit, etiam malo carere jucundum[3] neque aliud voluptas sit nisi doloris vacuitas sive negatio. — Aliud autem in rhetorice inest voluptatis genus, quod Platonis *μικτῷ* sive *κοινῷ*[4] respondeat. Is enim status est qui voluptatem et dolorem una complectatur, veluti amatoris, qui ex ejus quem amat absentia quidem dolorem capit, recordatione autem, quo fit, ut illum sentire videreque videatur, voluptate afficitur (1370 b, 22—27).[5] Rhetoricen praeter eas quas attulimus res, in quibus insit jucundi quoddam, etiam alias plurimas enarrare, quarum nonnullas et ethice prodit, veluti *τὸ εὖ πάσχειν* et *εὖ ποιεῖν*, (1371, 35), amicos (Ibid. v. 18), suum cuique (1371 b, 22), vix memoratu opus est. Qua in re dignum est quod afferatur, ethicen *τὸ φιλεῖν* suavius esse contendere quam *φιλεῖσθαι* (VIII, 9, 1159, 27 sqq.), veluti suum quisque opus magis amat, quam ab eo amatur (IX, 7, 1167 b, 34 sqq.), et beneficia dare quam accipere, quum

[1] P. 1370, 17—27. — [2] L. l. 27—35. [3] Rhet. 1370 b, 1—7.
[4] Phileb. p. 31: *ἐν τῷ κοινῷ μοι γένει ἅμα φαίνεσθον λύπη τε καὶ ἡδονὴ γίγνεσθαι κατὰ φύσιν.* [5] Cf. Eth. IX, 5. 1167, 3 sqq.

in rheterice sit: *τὸ εὖ πάσχειν τοῦ εὖ ποιεῖν δόξειεν ἂν αἱρετώτερον εἶναι.* (I, 7. 1365 b, 3).

Itaque quum de voluptate non in universum modo disputaverimus, sed etiam singularum quarundam rerum quae sit ethices et rhetorices diversa tractatio declaraverimus, huic rei satisfecisse nobis videmur. Sed facere non possumus quin animadvertamus, rhetorices definitionem, posito verbo „*ἀθρόα*“ quod, quum huic insit, in Platonis definitionibus frustra quaeramus, his latius patere, siquidem *ἀθρόαν* non ut Muretus [1]) „subitam“, sed, ut plerumque usurpatur, totam sive universam interpretamur, ita ut *μετάληψις ἀντὶ μειζόνων ἐλαττόνων* (scil. *λυπηρῶν*) improprie ponatur *ἐν τοῖς ἡδέσιν* (Rhet. I, 10 fin.), quod restitutio non tota efficitur. Denique non praetermittendum est, in rhetorica non ut in ethica voluptatem in beatitudinem referri, quamquam definita est *ὁ βίος ὁ μετ' ἀσφαλείας ἥδιστος.* Ceterum non inane videatur hanc vitam cum *βίῳ* illo *πολιτικῷ* quem ethice tradit (I, 3) conferre, siquidem non minus illud „*μετ' ἀσφαλείας*“ quam „*ἥδιστος*“ respicimus; nam honos quodammodo pignus est securitatis, atque in rhetoricis est: *τιμὴ καὶ εὐδοξία τῶν ἡδίστων διὰ τὸ γίγνεσθαι φαντασίαν ἑκάστῳ, ὅτι τοιοῦτος, οἷος ὁ σπουδαῖος καὶ μᾶλλον ὅταν φῶσιν οὓς οἴονται ἀληθεύειν. τοιοῦτοι δ' οἱ ἐγγὺς μᾶλλον τῶν πόῤῥω καὶ οἱ συνήθεις καὶ οἱ πολῖται τῶν ἄπωθεν... καὶ οἱ φρόνιμοι ἀφρόνων.* (I, 11. p. 1371, 9). Neque multo aliter ethice honorem summum bonum non esse argumentatur. Neque enim honorem esse *οἰκεῖον καὶ δυσαφαίρετον*, id quod in summi boni natura inesse deceat, quum magis situs sit honos *ἐν τοῖς τιμῶσι* quam *ἐν τοῖς τιμωμένοις*, neque sua ipsius causa expeti, ut summum bonum, quippe qui ultimus finis sit, nam *ἐοίκασι τὴν τιμὴν διώκειν, ἵνα πιστεύωσιν ἑαυτοὺς ἀγαθοὺς εἶναι· ζητοῦσι γοῦν ὑπὸ τῶν φρονίμων τιμᾶσθαι καὶ παρ' οἷς γιγνώσκονται καὶ ἐπ' ἀρετῇ.* (Cf. Eth. VIII, 9. 1159. 22—24).

Nunc vero posteaquam a beatitudine profecti per voluptatis iter ad illam reversi sumus, quae quemadmodum ad hanc nos devocavit, sic in beatitudine explicanda **bonum** omitti non potuit, quod quidem illa summum aestimetur bonum, specialem boni notionis comparationem brevius complecti licet, praesertim

---

[1] Aristotel. Rhet. libb. II. Opp. T. III. p. 658 ed. Ruhnken.

quum summum quod est inter hanc rhetoricorum et ethicorum opinionem discrimen, ibi beatitudinem non summum bonum fingi, jam antea enuntiaverimus. Ethice enim a fine profecta et ex singulorum finium numero aliis aliis rebus subjectis ad omnium rerum agendarum ultimum et extremum finem, ad beatitudinem pervenerat, quae sit summum bonum necesse est, quoniam omnis finis bonum quoddam est. Quam quidem finis notionem rhetorice quoque sequitur: neque vero morali vi ac potestate boni illius, sed eo quod idem est *συμφέρον* atque *ἀγαθόν* — ex vulgari enim opinione nihil bonum invenitur nisi quod utilitatem afferat — quid et quale sit bonum ut declaret et inquirat maxime adducitur. (Rhet. I, 6 init). Eaque ipsa quamquam finem esse bonum quoddam cognoscit ac profitetur definitionemque fini illi respondentem initio proponit: *ἔστω δὴ ἀγαθὸν ὃ ἂν ἑαυτοῦ ἕνεκα ῃ αἱρετὸν καὶ οὗ ἕνεκα ἄλλα αἱρούμεθα*, I, 7, 1363 b, 16: *τὸ δ'οὗ ἕνεκα τὸ τέλος ἐστίν*, I, 6. 1363, 8: *τὸ δὲ τέλος ἀγαθόν* ac vel id quod finis apparet majus bonum quam in quo finis non inest aestimatur (I, 7, 1364, 3), tamen *τὸ ἄριστον, τελειότατον ἀγαθὸν* quod nullo modo augeri possit (cf. sup. p. 22), esse ignorat, quum omne bonum cum alio conjunctum amplificari censeat. Abstracta enim boni simplicitatis notio intelligentia hominum vulgarium percipi non potest, ad quos quidem *τοὺς πολλοὺς* ita rhetorice spectat ut idem esse ac *πάντες* contendat. Quam ob rem bonum esse putat, *οὗ πολλοὶ ἐφίενται καὶ τὸ περιμάχητον φαινόμενον· οὗ γὰρ πάντες ἐφίενται τοῦτ' ἀγαθὸν ἦν, οἱ δὲ πολλοὶ ὥςπερ πάντες φαίνονται* (I, 6. 1363, 8). Quod quantum distet a vero Aristotelis judicio ex ethicis apparet, ubi *οἱ πολλοὶ* jure ac merito *εἰς ὄνειδος* vocantur sui ipsorum amatores, qui *τούτων* (*τῶν περιμαχήτων ἀγαθῶν*) *ὀρέγονται καὶ ἐσπουδάκασι περὶ αὐτὰ ὡς ἄριστα ὄντα* (cf. IX, 8. p. 1168 b, 15—19). Ethices autem quum plurimum intersit ut summum bonum inveniat, vel psychologiam ipsam amplectitur e qua hominis functionem deferat, atque ex artis omniumque aliarum, quarum agendi bonum ipsa perfectione continetur, actionum similitudine, hominis quatenus est homo summum bonum esse profert animi operationem secundum perfectionem, i. e. si ad ethicen spectamus, virtutem.[1] Quam investigandi

---

[1] *Eth. I, 6. 1098, 14: ἕκαστον δ' εὖ κατὰ τὴν οἰκείαν ἀρετὴν ἀποτε-*

rationem rhetorice tantum abest ut ineat, ut ne tum quidem, quum in ipsa psychologiae regione versata de affectibus disputat (Lib. II), qualis eorum sit et animi vitae ratio declaret, sed id tantum quantum efficiant ac quomodo ad alios homines et externas res sese habeant explicet pronuntietque. Itaque vel ad ipsam boni notionem, quae omnibus nota ac divulgata sunt ita referuntur, ut rhetori bona ambigua et dubia conclusione ipsa bona sint fingenda (Rhet. 1362 b, 30.). Atque rhetorice ad commune judicium popularemque sensum et singula bona et quae aliis majora sunt accomode enumerat, veluti bona valetudo *ἄριστον* vocatur, quod et vitae et voluptatis auctor sit (1362b, 16), justitia vero *μικρὸν*, quod melius sit homo justus videri quam esse (I, 7, 1365b, 7). Quae sententiae ethicae Aristotelis conditioni tantopere repugnant, ut non modo in ipsis rhetoricis, quum de virtutibus disputet, justitiam omnium praestantissimam esse proferat, quamvis aliis, ut videbimus, atque in ethicis, rationibus ductus, sed etiam illis ipsis locis allatis facere non possit, quin vocibus additis *δοκεῖ* et *φασὶ* omne crimen a se propulset. Ceterum vero haec omnia sunt, pro rerum ratione, rhetori tamquam materiae et argumenta, quippe cui et tempore et loco res fingantur aut bonae aut aliis majores (1365, 20), veluti modo aurum, quod rarius inveniatur, modo ferrum, quod saepius usurpetur, praeclarius laudandum est (1364, 25). Sunt quidem in rhetoricis etiam aliae summi boni notae veluti *τὸ αὔταρκες*, tamen in eundem modum atque in ethicis non adhibentur. Etenim quamvis in enumerandis singulis bonis primo loco ponat rhetorice beatitudinem (I, 6, 1362 b, 10) eamque *αὔταρκες* appellet, haec tamen non ut *τἀγαθὸν*, sed ut *ἀγαθὸν* modo valet. Namque rhetorice etsi in boni definitione bipartita bona affert, et quae sua ipsorum et quae aliorum causa petuntur, hujus tamen divisionis, qua ethice in inquirendo summo bono semper utitur[1] in ipsa certe definitione sibi non conscia est, sed tantopere commune judicium servat, ut ipsorum bono-

---

λεῖται. Adde II, 5 init: *ῥητέον οὖν ὅτι πᾶσα ἀρετή, οὗ ἂν ᾖ ἀρετή, αὐτό τε εὖ ἔχον ἀποτελεῖ καὶ τὸ ἔργον αὐτοῦ εὖ ἀποδίδωσιν, οἷον ἡ τοῦ ὀφθαλμοῦ ἀρετὴ τόν τε ὀφθαλμὸν σπουδαῖον ποιεῖ καὶ τὸ ἔργον αὐτοῦ· τῇ γὰρ τοῦ ὀφθαλμοῦ ἀρετῇ εὖ ὁρῶμεν.*

[1] Eth. I, 4. p. 1096 b, 13 sqq. I, 5.

rum suapte vi optabilium, veluti virtutum praestantiam ac dignitatem ad eventus et effectus solos redigat [1], quamvis illud *εὖ διακεῖσθαι κατὰ ταύτας*, quod memoriam affert *τοῦ εὖ ζῆν* et *εὖ πράττειν* atque omnino beatitudinis definitionis primae, plane non negligat. Quae quum ita sint, non mirum, quod rhetoricae, quodcunque est jucundum, bonum quoddam apparet, [2] quum Aristoteles ethicus, omni bono voluptatem inesse, dixerit. [3] Istic igitur etsi in boni definitione morale illud momentum non praeponderat, tamen non humilem locum capit et generatim eo quod *νοῦς* et *φρόνησις* bonum definiunt, bonaque putantur *ὅσα ὁ νοῦς ἑκάστῳ ἀποδοίη καὶ ὅσα ὁ περὶ ἕκαστον νοῦς ἑκάστῳ ἀποδίδωσιν, καὶ ὃ νοῦν ἂν καὶ φρόνησιν λαβόντα ἕλοιτο* (I, 7. init.), *καὶ μεῖζον ὃ μᾶλλον ἡ φρόνησις λέγει* (Ibid. 1364 b, 19), quarum similes notas in ethicis et cognovimus et cognoscemus, et singillatim quod *φιλέταιρον εἶναι* melius quam *φιλοχρήματον* (1364b, 2) et *ἀδικεῖσθαι* quam *ἀδικεῖν* dicitur. (I, 7. 1364 b, 22). Jam vero de singulorum bonorum ad beatitudinem relatione, quomodo interiore quodam vinclo inter se conjuncta sint, ipsa ethice non declaravit. [4] Bonorum autem numerum quem ethice profert rhetorice multo superat. De iis igitur quae ejusmodi erant, quae cum ethicis comparari potuerint, quum disputaverimus, restat ut de uno agamus, quod minus ipsi rei affert difficultates quam aliquid impedit, quominus istam Aristotelis disputationem integram et quasi rotundam habeamus. [5] Quaeritur enim quae ac quales sint *δυνάμεις*, quae, quamquam in numero beatitudinis partium sunt, tamen non ut aliae res explicantur. Spengelius, quum civilem potentiam intelligi velit, quum addat „infra non explicatam," ipse difficultatem sentit; praeterea *τιμὴ* et *δόξα* praepositae sunt (I, 5. 1360 b, 22). Itaque *δυνάμεις* esse *εὐφυΐαν, μνήμας, εὐμάθειαν, ἀγχίνοιαν, πάντα τὰ τοιαῦτα* quorum sub illo nomine sexto capite mentio fit (1362 b, 23—25), [5] conjicimus, quae suspicio forte probalilior fit quod *δυνάμεις* juxta *τύχην* positae sunt. [6]

[1] Rhet. I. 6. 1362 b, 2: *καὶ τὰς ἀρετὰς δὲ ἀνάγκη ἀγαθὸν εἶναι· κατὰ γὰρ ταύτας εὖ τε διάκεινται οἱ ἔχοντες καὶ ποιητικαὶ τῶν ἀγαθῶν εἰσι καὶ πρακτικαί.* Cf. Eth. II, 4, 1106. 5: *κατὰ δὲ τὰς ἀρετὰς . . (οὐ κινεῖσθαι ἀλλὰ) διακεῖσθαί πως.* [2] Rhet. I, 6, 1362 b, 7. [3] Cf. Eth. III, 6 fin. [4] Cf. Brandis. Philol. IV. p. 29. [5] Cf. Eth. VI, 10 sqq. [6] Rhet. I, 5. 1360 b, 28: *ἔτι δὲ προσήκειν οἰόμεθα δυνάμεις ὑπάρχειν καὶ τύχην.*

Inter beatitudtnis autem partes rhetorice etiam **virtutem** enumeravit, quam definiri in tractando genere demonstrativo, quum hujus sit propria, Aristoteles voluit.[1] Hoc enim genus versatur in laude et vituperatione quibus propositum est honestum et turpe (I, 9 init.). Honestum autem, cum sit ejusmodi ut suapte vi optabile laudetur, cumque, quatenus est bonum, jucundum quoddam sit propterea quod ipsum bonum est, amplecti etiam virtutem necesse est, quae quidem ipsa sit honesta. Qua de causa nunc et ex universo de virtute et de singulis virtutibus inquirendum est. Jam vero quemadmodum hucusque definitionum quae est inter rhetoricen et ethicen discrepantia, e ratione qua diversa utraque easdem res tractat, explicata enucleataque est, sic hac in re quoque, ut speramus, differentiae causa apparebit, quam si invenerimus, ipsum discrimen illustrare et excusare poterimus.

Morum igitur doctrinae imprimis id agendum erat, ut principium inveniretur, quod ut notio quasi quaedam varietati et inconstantiae actionum, quibus aut virtus aut vitium cernitur, succurreret quodque praeberet, quam sequerentur, normam agendique fundamentum.[2] Quare quomodo ad se ipse ac suas quisque actiones se habeat et quae sit virtutum subjectiva, quae dicitur, dignitas auctoritasque quaerendum est. Namque ethices non modo est demonstrare, quae actiones aut cum virtute gerantur aut ea careant, sed quo animo quemque esse deceat, ut vir vere honestus dici actionibusque palma virtutis ac praestantiae tribui possit.[3] Res enim sane justae dici possunt, cum is qui gesserit minime justus sit, quoniam non eo animo quo justus egit;[4] itaque admodum mirum est, qui fieri potuerit, ut doctissimi viri in Aristotelis morum doctrina non modo verbo, id quod verum est, sed etiam re hoc animi momentum esse negarint, quum omnes profecto virtutis dignitatem et honestatem in voluntate atque consilio ponat, quin etiam agendi volupta-

---

[1] L. l. fin. [2] Eth. II, 2. p. 1104, 3: *τὰ δ' ἐν ταῖς πράξεσι καὶ τὰ συμφέροντα οὐδὲν ἑστηκὸς ἔχει, ὥσπερ οὐδὲ τὰ ὑγιεινά. . . . v. 10: ἀλλὰ καίπερ ὄντος τοιούτου τοῦ παρόντος λόγου πειρατέον βοηθεῖν.* [3] Eth. II, 3, 1105, 28: *τὰ δὲ κατὰ τὰς ἀρετὰς γινόμενα οὐκ ἐὰν αὐτά πως ἔχῃ, δικαίως ἢ σωφρόνως πράττεται ἀλλὰ καὶ ἐὰν ὁ πράττων πως ἔχων πράττῃ . . .* [4] L. l. 1105b, 5—9.

tem honestatis notam ita esse censeat, ut nemo bonus dici possit, quin cum voluptate bene honesteque egerit, cumque in universum non modo hoc dicat, sed etiam in singulis virtutibus tractandis cum voluptate exercendas esse poferat.[1] Fortis enim hominis est libenter suscipere pericula, temperantis libenter a libidine sese abstinere, liberalis libenter aliis dare. Itaque Aristoteles singulis virtutibus disputationem de voluntario et consilio praeponit, quibus solis actiones nostrae aut honestae aut turpes fiant. Enimvero penes nos est et virtus et vitium,[2] et aeque errat is qui esse aliquem sponte *πονηρὸν*, ac rectum profitetur is, qui esse aliquem ipso invito *μακάριον* neget.[3] Idcirco virtus, Socrate auctore, in scientia collocari nequit. Atque quamvis sint virtutes *μετὰ λόγου* et *φρονήσεως*, tamen non ipsi *λόγοι* et *φρονήσεις* sunt.[4] Alia enim est virtutum alia artium ratio. Nam is, qui ea quae artis sunt, quamvis casu ac temere pulchre effecerit, laudatur et artifex habetur, quod in artibus non spectamus qualis opifex, sed quale opus sit, totaque perfectio non ex opifice pendet sed ex ipso opere, nec quidquam interest quo animo aliquid artifex fecerit. At in virtutibus non tam spectatur cujusmodi sit actio quam, quomodo affectus sit animus ejus qui egerit, ita ut sciens, consulto cumque firma et constante voluntate agat. Et horum quidem omnium praeter artis scientiam nihil in artifice requiritur, et, quod in artium genere non praecipuum tantum, verum etiam solum, id in virtutibus minimum momenti habet.[5] (II, 3. p. 1105, 21—b, 4). Quare venia datur ei quidem qui in arte sponte peccaverit, neque vero eadem ratione qui turpiter egerit: immo deterior homo habetur, quam qui invitus peccaverit in virtutibus.[6] Qua ratione illa quoque *ἀπορία* dissolvitur, quomodo quis tum demum, quum in honeste justeque agendis actionibus edendisque

---

[1] II, 2. 1104b, 3: *σημεῖον δὲ δεῖ ποιεῖσθαι τῶν ἕξεων τὴν ἐπιγινομένην ἡδονὴν ἢ λύπην τοῖς ἔργοις* . . . Cf. I, 9. 1099, 18—20. Cf. Trendelenb., Herbart etc. Abhandl. p. 33. [2] III. 7. p. 1113, 6: *ἐφ' ἡμῖν δὲ καὶ ἡ ἀρετή, ὁμοίως δὲ καὶ ἡ κακία.* Multo elegantius Plat. Republ. p. 617 E: *ἀρετὴ δὲ ἀδέσποτον κτλ.* [3] III, 7. 1113b, 14 sq. [4] VI, 13. 1144b, 18—27. — v. 28: *Σωκράτης μὲν οὖν λόγους τὰς ἀρετὰς ᾤετο εἶναι (ἐπιστήμας γὰρ εἶναι πάσας) ἡμεῖς δὲ μετὰ λόγου.* — [5] Haec partim Mureti verbis exposuimus. [6] VI, 5. 1140b, 23 sq.

sese exercuerit (Cf. sup. p. 14 sq.), honestus vir ac probus effici possit: quae quidem sententia sibi ipsa repugnare videtur — quum qui justas ediderit actiones ipsum eum esse justum putaveris — ea autem de causa, quod, quae res est magni in virtutibus momenti, ipse animus accedit ad solas actiones, illustratur ac sustinetur. Neque quemque ullo pacto jure ac merito punire possis nisi liberam esse hominum voluntatem existimaveris.[1] Nam qui inviti quidquid est turpiter ac vitiose fecerunt, iis libenter ignoscere solemus eorumque miseremur (III, 1 init. III, 7). Jam vero, ut penitus cognoscatur quid sit voluntarium, primo quid sit non voluntarium explicatur. Invitus autem si quis rem gerit aut vi aut inscitia adductus est. Atque vi quadam tum adducitur quis, ut agat, quum agendi principium extra eum ipsum situm est, ut ipso non adjuvante res efficiatur (III, 1, 1110, I sqq.). Quamquam quidquid ex ignorantia quadam rerum fieri solet invitum non est, sed id modo quod dolor ac poenitentia sequitur (III, 2 init). Neque nosmet ipsi ignorationis praecipui auctores esse debemus, veluti qui aut per ebrietatem aut per iracundiam mala facinora admittunt (III, 7. 1113, 30 sq.). Invitus igitur agit neque qui quod expedit (τὸ συμφέρον)[2] ignorat — hoc enim turpitudinis fons est — neque qui res universas nescit[3] — id enim modo reprehendimus, — sed qui singulas quasque res, quarum in agendo ratio habenda est minime scit (III. 2. 1110 b, 30—1111). Ergo ἑκούσιον id est cujus agendi principium in eo positum est qui idem singula quaeque (τὰ καθ' ἕκαστα ἐν οἷς ἡ πρᾶξις) novit (III, 3 init). Quamquam quemadmodum is qui quid turpiter sua sponte fecerit non ipse vir turpis est, sic ne satis quidem est, ut de honestate judicetur, si quis sua sponte agere solet, sed etiam ex consilio, προαιρέσει, quod quidem cum voluntate congruere videtur sed tamen latius patet ideoque illud complectitur. Sua enim sponte et pueri et bestiae agunt, neque vero cunsulto, veluti id quoque, quod subito fit, sponte, non consulto esse factum

[1] III, 1 init: το ἑκούσιον καὶ ἀκούσιον ἀναγκαῖον ἴσως διορίσαι τοῖς περὶ ἀρετῆς ἐπισκοποῦσι, χρήσιμον δὲ καὶ τοῖς νομοθετοῦσι πρός τε τὰς τιμὰς καὶ κολάσεις.

[2] Recte Brandis. vernacule vertit „das Rechte.“ Cf. Michel. p. 143 sq.

[3] Michel. l. l.: „Ignorantia boni finis est ignorantia universalium.

dicitur. Neque recte dixeris consilium esse aut cupiditatem aut iram aut voluntatem (βούλησιν) aut opinionem. Nam cupiditas et ira etiam illorum sunt, quae ratione carent, consilium vero minime; voluntas et ad ea quae fieri non possunt et ad finem spectat, consilium ad nihil nisi ad instrumenta agendi (τὰ πρὸς τὸ τέλος) dirigitur et ad eas res quae penes nosmet ipsos sunt; opinio denique ad omnia, et ad aeterna, et ea quae per nos fieri non possunt, et quae in nobis sita sunt, pertinet, neque bono ac malo discernitur ac distinguitur, sed vero ac falso. Immo etiam consilium sive προαίρεσις, ut ipsum verbum Graecum significat, electio quaedam est rei alicujus quae prae ceteris optanda atque eligenda sit.[1] (πρὸ ἑτέρων αἱρετόν). Electioni vero omni quum deliberationem praecedere nescesse sit, electum est id quod et prius deliberatum et ipsa deliberatione constitutum est (τὸ γὰρ ἐκ τῆς βουλῆς προκριθὲν προαιρετόν ἐστιν III. 5. 1113, 4) Itaque ipsum consilium est appetitus sive studium deliberatione exortum earum rerum quae per nos fieri possunt (καὶ ἡ προαίρεσις ἂν εἴη βουλευτικὴ ὄρεξις τῶν ἐφ' ἡμῖν III. 5 fin.). Quam ob rem quum penes consilium sit honestatis arbitrium, Aristoteles in ethicis virtutem ἕξιν προαιρετικὴν esse explicare coactus est. Quomodo vero intelligenda sit Aristotelis doctrina, ex ea potentia quae natura nobis insita sit, frequentatis ejusdem generis actionibus, habitum gigni,[2] tum qua ratione virtus μεσότης πρὸς ἡμᾶς definiatur, omnino de via et psychologica et empirica qua Aristoteles ad integram virtutis definitionem pervenerit: „ἕξις προαιρετικὴ ἐν μεσότητι οὖσα τῇ πρὸς ἡμᾶς ὡρισμένῃ λόγῳ καὶ ὡς ἂν ὁ φρόνιμος ὁρίσειεν," denique unde provenerit virtutum divisio in morales et rationales jam supra disseruimus (Cf. p. 14 sqq.). Contra in rhetorice[3] virtus dicitur potentia, δύναμις, quum in ethice virtutem potentiam esse non posse deducatur. Namque potentia quidem ut scientia ad oppositiones spectare possunt, virtus vero una re, quae honestas est, dirigi potest; eademque est habitus ratio, (Eth. X, I, 1129, 13 sqq.) ac profecto virtutes

---

[1] Cf. Eth. III, 4. [2] Difficultatem quomodo haec Aristotelis sententia, virtutes exercendo ac consuetudine comparari, cum ejusdem de voluntate doctrina conveniat, solvere conatus est Garvius vers. vern. I, p. 548—551. [3] I, 9. 1366. 37 sq.

scientiis majore constantia sunt, quum illarum nemo unquam obliviscatur. (Eth. I. 11 1100b, 12—17). Sed ἕξις est habitus qui interiorem naturam respicit;[1] in rhetorice autem quum, ut jam diximus, hominis non qualis sit ipse e sua ipsius natura sed qualis sit usu consuetudineque cum aliis ratio habeatur, neque subjectiva hominis cui est virtus auctoritas, sed, ut ita dicam, objectivae actiones sive *ἐνέργειαι* spectentur, virtus quoque emolumentis magis et commodis dimetatur facultateque quum sibi tum aliis bona comparandi. Quae quum ita sint, individualis magis quae ad agendum pertinet bonitas ac praestantia quam vis moralis respicitur, quoniam legitur: *ἀρετὴ δ' ἐστὶ μὲν δύναμις, ὡς δοκεῖ, ποριστικὴ ἀγαθῶν καί φυλακτική, καὶ δύναμις εὐεργετικὴ πολλῶν καὶ μεγάλων καὶ πάντων περὶ πάντα.* Itaque rhetorice voluntatem ac consilium, quippe quae res ad honestatem spectent, quamvis non negligat praetermittatque, sed aperte dicat *ἐν γὰρ τῇ προαιρέσει ἡ μοχθηρία καὶ τοῦ ἀδικεῖν*, (I, 13. 1374, 11) quum etiam *ἀδικεῖν* voluntarie alicui nocere definiat, (I, 10 init.) tamen non moralis gravitatis ac momenti causa, sed quia ad id quod orator intendit idonea sunt et utilia, tractat et describit. Virtus enim quum imprimis in genere demonstrativo versetur, cujus et laus propria est et vituperatio, laus vero actionum sit, quibus respectis oratori eum quem laudat virtute praeditum, *σπουδαῖον*, esse simulandum sit, idcirco, quoniam *σπουδαῖος* consulto agit, etiam actiones tamquam consulto editae fingendae sunt: quod quomodo orator efficere possit rhetorice docet, veluti declarando aliquid saepe factum esse, quod quidem ex consilio esse videtur, non re vera est profectum. Immo id quod casu ac fortuito evenit (*τὰ συμπτώματα καὶ τὰ ἀπὸ τύχης*) tamquam consulto actum esse oratori dicendum est (Cf. I, 9. 1367 b, 21—26). Quae quidem ratio ab ethico phi-

[1] Cf. Bies. II. p. 262. not. 3. — Polit. VII, 3. 1325 b, 12: *δεῖ δ' οὐ μόνον ἀρετὴν ἀλλὰ καὶ δύναμιν ὑπάρχειν καθ' ἣν ἔσται πρακτικός.* Ceterum de ipso sermone quo et ethice et rhetorice utitur, Aristoteles vocabulorum „*δύναμις*“ et „ἕξις“ distinctionem non urget. Interdum enim in ethicis virtutes morales *διαθέσεις* (II, 7. 1107 b, 30), in qua quidem voce major quaedam gravitas inest quam in *δυνάμεως* verbo et minus quam in ἕξεως voce, virtutes rationales modo ἕξεις modo *δυνάμεις* (VI, 12 init.) vocat. Rhetoricorum multis locis virtutes ἕξεις dicuntur. I, 6. 1362 b, 13. I, 10. 1369, 20. II, 12 init.

losopho probari non potest, in dicendo autem plurimum valet. Itaque in rhetorice, quum non interior morum vis sed utilitas modus ac ratio sit virtutis, ne singulae quidem virtutes ad principium in se ipso fundatum, ad universale quidquam referri possunt, quod, ut ethices mediocritatis ratio, omnes virtutes significet describatque, sed ex suis quaeque objectivis actionibus ita dijudicandae sunt, ut eae virtutes praeclarissimae existimentur quae aliis maximam afferant utilitatem, quoniam virtus est *δύναμις εὐεργετική*. Atque ad hanc utilitatis rationem si addamus quod rhetorice imprimis in rebus publicis versatur, Aristotelem virtutes, quoad ejus fieri potuit, habita legis ratione definivisse consentaneum est, neque, de industria eum id egisse, ut lege adsumpta singularum virtutum ordinem constituerit, silentio praetermitti potest. Itaque priorem locum tenent justitia, fortitudo, temperantia,[1] quippe quae ex lege pendeant (1366 b, 9—14), quamvis paucis versibus ante (5—7) pro utilitatis ratione juxta fortitudinem liberalitas posita sit. Lex enim imperat qua ratione adversus alios uti nos deceat, quin etiam, ex Aristotelis sententia, virtutes ipsas exercere imperat, quod vitia committere vetat. Nam quod lex hominibus interdicit, ne arma abjiciant neve tergum vertant neve deserant aciei ordinem, ea quoque facere jubet quae fortis viri sunt, atque quae temperantis quod, ne adulterium faciant neve omnino superbiant (*ὑβρίζειν*), interdicit. Itidemque in ceteris virtutibus et vitiis, illa quidem jubens haec prohibens apparet (Cf. Eth. V, 3. 1129 b, 19—25). Verumtamen mediocritatis principium et in rhetorice significatur. Qua moderata et concinna Graecorum ratione quomodo Aristoteles completus fuerit, amor illius principii adhibendi patefacit. Sic de diversis aetatum moribus loquutus virorum inter juvenum et senum mores medios esse vult, quum dicat: *ὡς δὲ καθόλου εἰπεῖν ὅσα μὲν διῄρηται ἡ νεότης καὶ τὸ γῆρας τῶν ὠφελίμων, ταῦτα ἄμφω ἔχουσιν (οἱ ἄνδρες), ὅσα δ᾽ ὑπερβάλλουσιν ἢ ἐλλείπουσιν, τούτων τὸ μέτριον καὶ τὸ ἁρμόττον* (II, 14. 1390 b, 6—9). Atqui ne in hoc ipso quidem genere discrimen quod est inter ethicen, quae ad solam honestatem, atque rhetoricen, quae imprimis ad effectum spectat, nos effugere nequit. In omni

[1] Earum idem ordo est I, 6. 1362 b, 12.

enim virtute definienda tres omnino notiones seu mavis affectiones (*διαθέσεις*) respiciendae sunt, duae, quae *ἄκρα* vocantur, vitiorum, quorum alterum in excedendo modo, alterum eo inest, quod rectus modus nondum impletus est sive in defectu, inter easque media posita (*τὸ μέσον*) virtus. Illa autem duo vitiorum genera et sibi ipsa et huic medio contraria sunt: hoc medium modo ei quod nimis modo ei quod parum magis opponitur, veluti fortitudo, quae medium inter ignaviam et temeritatem locum obtinet, dissimilior est ignaviae, quae in defectu, quam temeritatis, quae in excessu est. Cujus rei altera causa ex re ipsa ducitur, quoniam virtus non mediocritas absoluta sed *πρὸς ἡμᾶς* definita est, ideoque singulae virtutes modo ad hanc modo ad illam extremam rem (*ἄκρον*) propius accedunt, altera in individuali hominum appetitionum natura sita est, quae modo in hoc modo in illud appropinquant (II, 8.). Itaque perdifficile est in unaquaque re modum verum rectamque rationem consequi, veluti quonam modo, quibus hominibus, quibus de causis, quamdiu liceat irasci quaeri postest, ac modo *τοὺς ἐλλείποντας πρᾴους*, modo *τοὺς χαλεπαίνοντας ἀνδρώδεις* appellamus, quia semper distingui nequit, utrum quis modum excesserit necne, quum de his rebus judicium penes sensus est. (II, 9. 1109 b, 15—21) v. 22: *τὰ δὲ τοιαῦτα ἐν τοῖς καθ' ἕκαστα καὶ ἐν τῇ αἰσθήσει ἡ κρίσις*. (Cf. IV, 10). Atque eadem de causa multis modis peccare, recte probeque facere uno modo possumus (II, 5. 1106 b, 28 sqq.). Cujus quidem rei in ethicis ratio explicatur, in rhetoricis ut dicendi instrumentum affertur quo orator *τοὺς ἐν ταῖς ὑπερβολαῖς ὡς ἐν ταῖς ἀρεταῖς ὄντας* faciat, *οἷον τὸν θρασὺν ἀνδρεῖον καὶ τὸν ἄσωτον ἐλευθέριον* (I, 9. 1367 b, 2). Deinde similis est oratoris licentia similibus notionibus utendi pro his ipsis, veluti quum dicat *τὸν εὐλαβῆ ψυχρὸν καὶ ἐπίβουλον, καὶ τὸν ἠλίθιον*[1] *χρηστὸν καὶ τὸν ἀνάλγητον πρᾷον* quorum, hoc extremum exemplum *ἐν τῇ ἐλλείψει* collocari potest. (Cf. Eth. II, 7. 1108, 7 sq.). Jam vero ethice non semper majorem minoremve ad extrema, *ἄκρα*, quae ipsa nunquam vere recta neque laudabilia sed plane vituperanda sunt,[2] inclinationem reprehendi

[1] Eth. IV, 11. 1126, 4: *οἱ γὰρ μὴ ὀργιζόμενοι ἐφ' οἷς δεῖ ἠλίθιοι δοκοῦσιν εἶναι.* [2] Ibid. II, 7. 1108, 15: *τὰ δ' ἄκρα οὔτ' ὀρθὰ οὔτ' ἐπαινετὰ ἀλλὰ ψεκτά.*

tradit, rhetorice autem usque ad ἄκρα progreditur. Praeterea rhetorice omnino de eo quod praeter virtutis modum est loquuta in eo numero esse profitetur gratias agere, beneficia remunerari, adjuvare amicos, alia (I, 13. 1374, 22). Sed quum in ethica virtutis immoderatio virtus non sit, haec omnia, quippe quae nihil aliud atque honesta sint, ad hominem virtute praeditum referuntur.[1] Utrumque vero cum rhetorices conditione consentit. Nam quum hominis cum aliis societate et consuetudine conjuncti habeatur ratio, saepe fieri potest, ut actio quaedam, quam haud scio an ethicus quasi temerariam reprehendat, posteaquam temporum et locorum opportunitate summa emolumenta maximaque commoda attulit, fortissima esse videatur. Et vicissim quae res vere forti ac constanti animo gesta est, si quid detrimenti ex ea ceperis infelici casu, temere facta dicitur. *Δόξει τε γὰρ τοῖς πολλοῖς* ait Aristoteles. Hi enim actionem quaecunque est non honestate sed eventu et commodo metiuntur: sunt enim ejusmodi, ut quem sua sponte aliud quid nisi quod ipsi afferat utilitatem facere non credant (Rhet. III, 16. 1417, 35: *ἀπιστοῦσι γὰρ ἄλλο τι πράττειν ἑκόντα πλὴν τὸ συμφέρον*). Itaque etiam id quod honestatis causa factum est quasi ultra virtutis modum judicant. Itaque, quum talis sit hominis quem rhetorice depingit ratio, virtutes rationales (*διανοητικάς*) inter virtutum definitiones, excepta prudentia, abesse consentaneum est. Prudentia, quae postea accuratius tractanda nobis erit, omnium rerum agendarum ac virtutum summa est, quae quidem eundem quem virtutes morales in singulis actionibus locum in ipsa beatitudine obtinet. (VI, 5 init.) At *σοφία* quae est *ἐπιςτήμη καὶ νοῦς* (VI, 7. 1141, 19), *οὐδὲν θεωρεῖ ἐξ ὧν ἔσται εὐδαίμων ἄνθρωπος*, neque enim qua ratione ad beatam vitam pervenias demonstrat deliberatque, sed in sese ipsa habet beatitudinem, quum ipsa sapientia beatos efficit sicut bona valetudo sanos. (VI, 13 init. p. 1144, 4 sq.). Itaque Thaletes, Anaxagoras sapientes vocant, non prudentes, *ὅταν ἴδωσιν ἀγνοοῦντας τὰ συμφέρονθ᾽ αὑτοῖς καὶ περιττὰ μὲν καὶ θαυμαστὰ καὶ χαλεπὰ καὶ δαιμόνια εἰδέναι αὐτούς φασιν, ἄχρη-*

---

[1] Cf. Eth. VIII, 1. init. IX, 2. IX, 5. 1167, 14: *ὁ μὲν γὰρ εὐεργετηθεὶς ἀνθ᾽ ὧν πέπονθεν ἀπονέμει τὴν εὔνοιαν, τὰ δίκαια δρῶν.*

στα δὲ, ὅτι οὐ τὰ ἀνθρώπινα ἀγαθὰ ζητοῦσιν, (VI, 7. 1141 b, 3—8). Rhetorice sapientiae, quam in eorum numero refert, quae voluptatem afferant, mentionem facit ut πολλῶν καὶ θαυμαστῶν ἐπιστήμης (I. 11. 1371 b. 28). Sed etiamsi rhetorice prudentiam in virtutibus numerare cogitur eandemque in definitione ἀρετὴν διανοίας vocat, tamen virtutum partitionis in morales et rationales vix sibi conscia est, praesertim quum arti rhetoricae non propositum sit virtutes ad humani animi naturam referre, sed et in definitione et in ordine sive utilitate sive lege dirigatur. At ethicae ut in quaerendo bono sic ad virtutum repetendam originem psychologiae regiones ineundum est. Nam quum virtutes morales in affectibus et actionibus cernantur — in horum enim modo tenendo medioque illo consequendo posita est virtus — quae quidem ex appetitionibus oriuntur, virtutum et dispositio et ordo ad hominum appetitus referendus est.[1] Quamquam enim nemo virtute vere praeditus dicitur nisi qui sua ipsius et honestatis causa, τοῦ καλοῦ ἕνεκα, eam colat, hominum tamen natura insitum studium non ad id unum intentum est, sed honestis actionibus colendis atque exercendis eo pervenit homo, ut et honestatis et sua ipsarum causa actiones probas gerat. Nunc vero sunt maxime in rebus quae ad agendum pertinent tria hominum proposita, quae consequenda, τὸ καλόν, συμφέρον, ἡδύ, iisque contrariarum rerum, quae vitandae sunt, αἰσχρόν, βλαβηρόν, λυπηρόν. (Eth. II, 2. 1104 b, 30—34). Τὸ καλὸν autem idem esse ac τιμὴ dicitur (III, 11. 1115, 28: διὰ καλοῦ ὄρεξιν (τιμῆς γάρ), et alio loco juxta τιμὴν ponuntur χρήματα et σωτηρία (V, 4, fin.), ita ut illud et τὸ συμφέρον hoc et τὸ ἡδὺ idem valeat. Unde appetitus tres consequuntur, appetitus sui conservandi (σωτηρία, ἡδύ, cf. X, 4. 1175. 10 sqq.) et possessionis (χρήματα, συμφέρον) et honoris (τιμή, καλόν). Neque tamen id ita intel-

[1] Etsi Aristoteles quomodo se virtutes ex appetitibus deducant non aperte ostendit, hoc tamen eum in animo habuisse, ipsos quos attulerimus locos declaraturos speramus, neque cum Zellero (II, 491) neque cum Schleiermachero („Grundlinien" etc. p. 228 sq. et 341) Aristotelem in dispositione et ordine virtutum sine ratione egisse arbitrari possumus. — Cf. Ritter. „Gesch. d. Philos." p. 337 sq. — Michel. Comment. p. 30 sq. p. 122, ejusdemque auctoris „Die Ethik des Aristoteles" p. 55—62 et p. 75. Bies. „Philos. d. Arist.", II. p. 312 sqq. qui viri maxima quidem ex parte recte sensisse videntur. Qua de re infra disputatur.

ligendum est, quasi in singulis trium illarum rerum aut expetendarum aut fugiendarum unus per se appetitus a ceteris plane secretus existat, sed ita ut alius alium superare soleat. Nam et *τὸ καλὸν* et *τὸ συμφέρον* est *ἡδύ* (II, 2. 1105), quamquam multa jucunda sunt quae neque pulchra honestaque sunt neque utilia. Quam ob rem voluptatis appetitio principalis quasi quaedam agendique fons est, omnisque de virtutibus moralibus quaestio in voluptate et dolore versatur (Cf. II, 2. 1104, 8 sqq.). Nam voluptate homines adducuntur ad turpitudinem, dolore ab honestate sese abstinent. Quocirca Plato verissime dicit, ita statim a puero nos institui oportere, ut et gaudium et dolorem ex iis rebus ex quibus oporteat capiamus. Neque enim facile est actionibus aut gaudere aut dolore affici prout decet, in qua ipsa re, ut explicavimus, aut honestatis aut turpitudinis documentum est, quum nulla sit actio, nullus animi motus quem non aut voluptas aut dolor sequatur (Ibid.). Illorum autem appetituum secum quisque ejusmodi quasi bellum gerit, ut ad rem aliquam partim impellat ab eademque partim avocet. Quod enim in mente est *κατάφασις καὶ ἀπόφασις* id in appetitu *δίωξις καὶ φυγή* est. (VI, 2. 1139, 21 sq.). In quo perturbationum bello qui rectum modum mediumque obtinuerit morales virtutes sibi comparabit, qui id non potuerit peccabit et turpis putabitur.[1] Ergo ex appetitibus virtutes exoriuntur, quarum ordo seriesque eadem ratione instituitur prout gradatim sensimque procedunt atque crescunt. Primarium autem locum obtinet appetitus voluptatis, qui omnibus animalibus communis ac nobis summo periculo perniciéique est, quod a primo spiritus ductu per totam vitam ex homine non discedit, plus minusve actiones nostras et destinat nimisque facile corrumpit (cf. II, 2. 1104 b, 34 sqq. VI 5. 1140 b, 13 sqq.), quae ut ad rectum modum dirigatur maximo opus est studio diligentiaque (II, 9. 1109 b, 7). Ac primum quidem ad ipsum vivendum et ad vitam conservandam spectat: vivere enim, ex Aristotelis sententia, per se jucundum est. (Cf. X, 4. 1175, 10 sqq. IX, 9. 1170, 19 sq. 25 sq. Rhet. I, 6. 1362 b, 26). Qui huic sui conservandi appetitui rectam rationem modumque

---

[1] II, 1104, 32: *περὶ πάντα μὲν ταῦτα* (scil. *καλόν, συμφέρον, ἡδύ,* contr.) *ὁ ἀγαθὸς κατορθωτικός ἐστιν ὁ δὲ κακὸς ἁμαρτητικός.*

necessarium tribuerit, fortitudinem sibi comparabit. Deinde petit id voluptatis studium singulas corporis libidines, cui qui certum modum imposuerit temperantiae suae ipse auctor erit. Tum ad voluptatem muniendam homo, ut possideat, studet, ex quo possessionis studio, recto certoque modo adhibito, liberalitas et magnificentia prodeunt. Sed homo, natura destinatus, ut cum aliis vivat, etiam honoris studio affectus est, ut apud aequales auctoritate valeat; cujus appetitus recta ratio magnanimitatis ejusque quae inter *φιλοτιμίαν* et *ἀφιλοτιμίαν* media est posita, nomine carentis virtutis, auctor est,[1] cujus eadem ad animi magnitudinem ratio est qua liberalitas et magnificentia se habent. Hic quidem, ut uno nomine utar, appetitus socialis, ortus ex cupiditate, quae appetitus modo explicatos complexa ad *θυμὸν* progreditur[2] — quas vero, tenues parvi discriminis quasi umbras neque Romani neque nos novimus[3] — et illas virtutes et mansuetudinem[4] gignit atque in familiari usu consuetudineque quum alias quasdam virtutes tum amicitiam.[5] In justitiae vero virtute — namque illam intelligi volumus quae ab Aristotele *ὅλη ἀρετὴ* vocatur — Micheletium, (Comment. ad Eth. p. 122) qui ad socialem illam appetitionem nulla circuitione refert, sequi nequimus. Nimirum justitia in hominum sola societate atque commercio cernitur, quod in ceteris quoque virtutibus fieri solet, quae plus minusve justitia ita continentur, ut quae sit earum diversa origo non appareat. Immo in hunc modum rem se habere arbitramur. In omnibus enim ceteris

---

[1] Eth. II, 7. 1107b, 27: *ἔστι γὰρ ὡς δεῖ ὀρέγεσθαι τιμῆς καὶ μᾶλλον ἢ δεῖ καὶ ἧττον, λέγεται δ' ὁ μὲν ὑπερβάλλων ταῖς ὀρέξεσι φιλότιμος, ὁ δ' ἐλλείπων ἀφιλότιμος, ὁ δὲ μέσος ἀνώνυμος.* Cf. IV, 10. [2] Cf. Bies. II, 333 sqq. [3] Garv. II, 571 sqq. [4] Hanc etiam Ritter. (p. 339) in numero socialium virtutum habet, addens „ohne Anleitung des Aristoteles.“ [5] Hoc virtutum ordine serieque ab Aristotele constituto, perperam ex ipsius Giphanii sententia existere apparet partitionem bimembrem, ita „ut alias quidem virtutes moderandis et regundis perturbationibus, alias vero dirigendis et moderandis actionibus seu factis attribuamus.“ Ipse enim Giphanius refert ad perturbationes fortitudinem, temperantiam, honoris studium, animi magnitudinem, lenitatem seu mansuetudinem, ceteras omnes ad actiones. Quae quidem partitio, praeterquam quod nostro virtutum ordine serieque refellitur, tantum abest ut in re ipsa sita sit, ut hanc in Aristotelis animo fuisse non credideris. Cf. Giphan. ad Eth. p. 141 sq.

virtutibus moralibus unum appetitum aliis potiorem esse vidimus, ex cujus genere etiam actionis et virtutis genus exoriatur[1]. Justitia vero ad omnes vitae communis rationes pertinet (V, 3) ideoque non ex uno appetitu praevalente originem ducit, sed, ut nascatur, omnes appetitus una efficere debent, ac vis justitiae in eo posita est, ut modum teneat in omnibus appetitionibus eademque ratione. Quam sententiam hicce locus, qui quid sit inter universalem et particularem justitiam discrimen docet, confirmare nobis videtur; V, 4 fin: *ἄμφω γὰρ ἐν τῷ πρὸς ἕτερον ἔχουσι τὴν δύναμιν ἀλλ' ἡ μὲν (ἐν μέρει ἀρετῆς δικαιοσύνη) περὶ τιμὴν ἢ χρήματα ἢ σωτηρίαν ἡ δὲ (ὅλη) περὶ ἅπαντα περὶ ὅσα ο σπουδαῖος.*

Jam vero postquam in universum viam atque rationem, qua usus Aristoteles rhetoricen et ethicen dijudicavit, pronuntiavimus, ad comparandas singularum virtutum definitiones transgredi possumus. Omissa igitur mediocritatis ratione e qua in ethice **fortitudo** definitur *μεσότης περὶ φόβους καὶ θάῤῥη*, ab hac prima quidem rhetoricorum definitionis pars non plane aliena est, nisi quod hic potius quid fortis non quid fortitudo sit dici arbitraris, quum definiatur *ἀνδρία δι' ἣν πρακτικοί εἰσιν τῶν καλῶν ἔργων ἐν τοῖς κινδύνοις.* Periculum enim est terribilium rerum appropinquatio (*κίνδυνος φοβεροῦ πλησιασμός* Rhet. II, 5. 1382, 33) et is magis fortis judicatur, qui terribiles res sustineat, quam qui temerarias effugiat (Eth. III. 12 init.). Metuere solemus quascunque res adversas: sed neque paupertatem neque morbum neque ullum malum quod ex turpitudine non exoriatur metuere nos decet (III, 9. 1115, 17 sq.). Id quod deceat ethice docet, rhetorice hominum quam inire solent vivendi rationem patefacit, in qua minimus dolor ac metus capitur ex illis ipsis maximis malis, veluti ex injustitia omninoque turpitudine (Rhet, II, 5 init. II, 4 1382, 9). Ea vero quae metuenda sunt sicut ipse metus molesta sunt, maximeque ii qui molestas res sustinent, ut honestos viros decet, fortes vocantur. Quare ipsa fortitudo dolore non vacat, quum majoris negotii sit, molestas sustinere quam a rebus jucundis abstinere, quamquam

---

[1] Eth. II, 2 fin: *ὅτι μὲν οὖν ἐστὶν ἡ ἀρετὴ περὶ ἡδονὰς καὶ λύπας, καὶ ὅτι ἐξ ὧν γίνεται, ὑπὸ τούτων καὶ αὔξεται καὶ φθείρεται, μὴ ὡσαύτως γινομένων, καὶ ὅτι ἐξ ὧν ἐγένετο, περὶ ταῦτα καὶ ἐνεργεῖ, εἰρήσθω.*

fortitudo quoque ut alia quaeque virtus et hujusmodi actio per se jucunda est [1] (III, 12 1117, 29—b, 1). Nam honestatis voluptas dolorem vincit quem maxime honestus vir idemque beatus de morte suscipit, quippe qua tot et tantis rebus privetur. [2] Sunt autem etiam res, quas non metuere supra hominis naturam est (III, 10 init.); itaque non is fortis est qui nihil metuat, sed qui quae homini res terribiles videntur et sunt, sustineat, et ob id ipsum quod perferre honestum, non ferre turpe sit (III, 11 init.). Ejusmodi autem mors est, qua nihil terribilius et luctuosius, quod omnium rerum terminus est ac finis. [3] Neque vero in omni quidem morte despicienda fortitudo cernitur, sed in bello, cujus pericula summa et honestissima sunt (*ἐν μεγίστῳ γὰρ καὶ καλλίστῳ κινδύνῳ* III, 9. 1115, 30). Ex iis igitur quae hactenus explicata sunt ethicen vidimus et ad honestatem, ut ita dicam, subjectivam, quum fortitudinem sua ipsius causa expetendam esse doceat, et ad momentum psychologicum spectare, quum quae sit voluptatis et doloris ad fortitudinem ratio ostendat, quod utrumque negligit rhetorice. Atqui de ipsa fortitudinis vi ac potestate ethices disputationi parem esse rhetorices definitionem arbitramur eo quoque quod fortis *καλῶν ἔργων πρακτικὸς* sit oportet, praesertim quum, assumpta *τοῦ καλοῦ* definitione (Rhet. I. 9 init.), singula quaedam quae hujusmodi sunt repetamus, veluti: *ἐφ' ὅσοις τὰ ἆθλα τιμή, καλά. καὶ ἐφ' ὅσοις τιμὴ μᾶλλον ἢ χρήματα ... καὶ τὰ ἁπλῶς ἀγαθά, ὅσα ὑπέρ τε πατρίδος τις ἐποίησε παριδὼν τὸ αὑτοῦ,* (I. 9. 1366 b, 34) quocum hunc ethices locum conferre liceat: *ὁμολόγοι δὲ τούτοις* (scil. *τοῖς καλλίστοις κινδύνοις*) *καὶ αἱ τιμαὶ ἐν ταῖς πόλεσι καὶ παρὰ τοῖς μονάρχοις* (III, 9. 1114, 31). Maxime vero altera quae legitur in rhetorice definitionis pars: *καὶ ὡς ὁ νόμος κελεύει καὶ ὑπηρετικοὶ τῷ νόμῳ*, siquidem Aristotelis quam supra (p. 50) explicavimus de lege sententiam in memoriam revocamus,

---

[1] Eth. IV, 2. 1120, 26: *τό γὰρ κατ' ἀρετὴν ἡδὺ ἢ ἄλυπον, ἥκιστα δὲ λυπηρόν.* [2] Eth. III, 12. 1117 b, 10: *καὶ ὅσῳ ἂν μᾶλλον τὴν ἀρετὴν ἔχῃ πᾶσαν καὶ εὐδαιμονέστερος ᾖ, μᾶλλον ἐπὶ τῷ θανάτῳ λυπηθήσεται· τῷ τοιούτῳ γὰρ μάλιστα ζῆν ἄξιον. καὶ οὗτος μεγίστων ἀγαθῶν ἀποστερεῖται εἰδώς· λυπηρὸν δὲ τοῦτο.* [3] III, 9. 1115, 26: *φοβερώτατον δ' ὁ θάνατος. πέρας γάρ, καὶ οὐδὲν ἔτι τῷ τεθνεῶτι δοκεῖ οὔτ' ἀγαθὸν οὔτε κακὸν εἶναι.* Ceterum hic uterque locus nescio an confirmet Aristotelem animi imortalitatem non docuisse.

cum ea fortitudine congruit, quam Aristoteles *πολιτικὴν* dicit et ad suam ipsius descriptionen proxime accedere confirmat, *ὅτι δι' ἀρετὴν γίνεται· δι' αἰδῶ γὰρ καὶ διὰ καλοῦ ὄρεξιν, (τιμῆς γάρ) καὶ φυγὴν ὀνείδους, αἰσχροῦ ὄντος* (III, 11. 1116, 27). Atque quae quidem afferunt alia quattuor reliqua fortitudinis genera carpit ac vellicat, quae quidem sive necessitate quadam coacti exerceant, veluti servi dominos metuentes, sive perpetua quadam et hebeti consuetudine exercitati, veluti bene instituti milites, sive quadam mali effugiendi spe adducti [1], sive affectu quodam commoti, veluti homines iracundi: qui autem vere sunt fortes viri honestatis causa agunt, (*διὰ τὸ καλὸν πράττουσιν*) ac *θυμὸς* non nisi *συνεργεῖ αὐτοῖς*. (III, 11. 1116, 30 sqq.). Illa vero fortitudo civilis propter id ipsum libera esse videtur, quod legi obtemperat. [2] Et sane quidem ipsa lex necessitatis quid habet: profecto autem hominibus odiosa non est, quemadmodum aliae quaedam externae necessitates appetitionibus adversantur, quoniam *λόγος* est *ἀπό τινος φρονήσεως καὶ νοῦ* (Eth. X, 10. 1180, 21—23). Quae Aristotelis de lege venerabundae sententiae, ut penitus cognoscamus rhetoricae quae inest **temperantiae** definitionem, accurate sunt spectandae, quae haecce est: *σωφροσύνη δ' ἀρετὴ δι' ἣν πρὸς τὰς ἡδονὰς τὰς τοῦ σώματος οὕτως ἔχουσιν ὡς ὁ νόμος κελεύει.* In ethice temperantia est *μεσότης περὶ ἡδονὰς καὶ λύπας* (II, 7. III, 13): et ut fortitudo minus cernitur *ἐν τοῖς θαῤῥαλέοις* sic temperantia minus versatur *περὶ τὰς λύπας*. Tum vero, subtiliore instituta quaestione, temperantiam non in animi sed in corporis voluptatibus versari idque ne in omnibus quidem — quum, exempli gratia, nemo unquam qui ultra modum delectetur audiendis melicis aut fabulis spectandis intemperans vir, nec qui his rebus modum teneat temperans dici possit — sed in iis solis, quae nobis sint communes cum caeteris animalibus, demonstratur. Sunt autem eae quae gustatu capiuntur quaeque tactu (III 13, 1118, 1—26), de quibus Aristoteles et accuratissime inquirit et qua ratione iis resistere possimus praecipit. Ac profecto quod afferatur dignum id videtur, quod et temperan-

---

[1] Cf. Eth. III, 9 fin. Rhet. II, 5. 1383, 29 sqq.

[2] Eth. III, 11. 1116, 18: *δοκοῦσι γὰρ ὑπομένειν τοὺς κινδύνους οἱ πολῖται διὰ τὰ ἐκ τῶν νόμων ἐπιτίμια καὶ τὰ ὀνείδη καὶ διὰ τὰς τιμάς κτλ.*

tiae et fortitudinis vel maxime auctorem esse singulatim dicit Aristoteles rectam rationem, cujus locum in rhetorice obtinet lex.[1]

Liberalitas deinde et **magnificentia** et in ethicis et in rhetoricis affinitate quadam inter se conjunctae eo tamen distinctae sunt, quod in magnificentia, ut ipso verbo indicatur, magnitudinis notio inest. (Eth. IV, 4. 1122, 18—23) Utraque enim virtus in usu pecuniarum versatur.. Neque tamen magnificentia cernitur in omnibus actionibus quae pecuniae possessione fieri possunt, sed in magnis sumptibus. Quare magnificentissimus quisque est idem liberalis, sed non contra (Ibid. v. 28. sq.). Magnificentia igitur in iis sumptibus cernitur quae *τίμια* vocantur: in *ἀναθήμασι* vovendis, in sacris faciendis, omnino in iis rebus quae publice utiles sunt et ad ornamentum pulchritudinemque civitatis pertinent, veluti in exornanda urbe atque instruenda in faciendisque ludis. Est enim magnificus is qui non *εἰς ἑαυτὸν δαπανηρὸς* sit *ἀλλ' εἰς τὰ κοινά*. (IV, 5 init. — p. 1123, 4). Itaque magnificus esse pauper homo nequit, quippe cui pecuniarum inopia impedimento sit, quominus magnos faciat sumptus. (Ibid. 1122 b, 26, sq.). Liberalis autem unusquisque esse potest. Nam liberalitas, quae est *μεσότης περὶ χρημάτων δόσιν καὶ λῆψιν*, ex uniuscujusque rerum fortuna aestimatur atque homo liberalis judicatur non ex donorum magnitudine sed tantum ex habitu et e benevolentia animique consilio. Nimirum is liberalior vocari potest, qui, quum rebus fortunisque non abundet, minora dona praebet (IV, 2. p. 1120 b, 7—11). Liberalis ergo est qui rei familiaris ratione habita in eas res quas oportet libenter i. e. honesto animo sumptus faciat.[2] Liberalitas vero etsi media est posita inter accipiendum praebendumque, etsi liberalem a rebus permissis accipere non solum licet sed etiam oportet, ut habeat quae dare possit, tamen ii qui res vetitas non accipiunt ex justitia, non ex liberalitate laudari solent. (IV, 1. 1120, 19 sq.). Liberalitas enim magis in eo versatur, ut decenter praebeas quam ut accipias, aut in eo ut recuses quae non decet (Ibid. 1120, 9 sqq.). Nam virtutis magis est beneficia dare quam accipere et honeste agere magis quam turpi-

[1] Cf. III, 10. 1115 b, 12. — 14 fin. — 15. 1119 b, 11. [2] Eth. IV, 2. 1120 b, 23: *ἐλευθέριός ἐστιν ὁ κατὰ τὴν οὐσίαν δαπανῶν καὶ εἰς ἃ δεῖ.* v. 29: *ὁμοίως ἐν μικροῖς καὶ μεγάλοις καὶ ταῦτα ἡδέως.*

bus rebus abstinere: et hoc quidem eo assequimur, ut decenter sumamus de rebus permissis, illud ut decenter praebeamus. Divitiarum enim vis sita est in usu:[1] itaque liberalis is erit qui virtute quae ad pecunias pertinet est praeditus. (Ibid. 1120, 5—15). In rhetoricorum quidem definitione nihil aliud quam hoc posterius inest, quoniam definitur *ἐλευθεριότης, ἀρετὴ περὶ χρήματα εὖ ποιητική*, (I, 9. 1366 b, 16) idque est eo majore auctoritate, quo ipsa ethice, iis tantum qui dare soleant et gratiam haberi et laudem tribui, tradit (Ibid. v. 15 sq.). Neque enim tanta ejus merita sunt, qui res vetitas non accipiat, quanta ejus qui decenter det, quum illud factu facilius et ad suum quisque minus propensus sit profundendum quam ad alienum non accipiendum.[2] *Μεγαλοπρέπεια* vero quum in rhetoricis dicatur, *ἀρετὴ ἐν δαπανήμασι μεγέθους ποιητική* quae in ethicis inest disputationem in unum quasi quoddam complectitur, sed quod aperte in ethicis legitur, esse magnifici sumptus ad publicam utilitatem referre, id omittit rhetorice negligitque. Sed minorem quam illae duae virtutes modo tractatae cum ethicis consensionem tribuit **magnanimitatis**, quam habet rhetorice definitio: *ἀρετὴ μεγάλων ποιητικὴ εὐεργετημάτων*, cui cum ethica nihil re vera aliud quam magnitudo communis est. Nam quamquam ethice magnanimi viri esse docet benigne in alios beneficia conferre collocataque ab eodem majora quam accepta beneficia sint oportere (IV, 8. 1124b, 9—11), hoc tamen ex ipsa virtute proficiscitur atque exoritur, non magnanimitatis vis est ac natura. At potius *μεγαλοψυχία* versatur *περὶ τιμὴν μεγάλην* (IV, 9 fin). Magnanimus enim is est qui magnis rebus sese dignum et habeat et sit; itaque medius est positus inter *μικρόψυχον* et *χαῦνον*. Namque etsi secundum magnitudinis rationem in extrema re est, tamen ex sua ipsius virtute sola sese metitur,[3] quum illorum, alter in vitio sit, quod parum sibi tribuit, alter in contrario vitio, quod nimiam de se habet opinionem. (IV, 7. 1123 b, 1—15). Pretii vero et dignitatis ratio ad externa bona dirigitur, (*ἡ δ'*

---

[1] Rhet. I, 5. 1361, 23: *ὅλως δὲ τὸ πλουτεῖν ἐστὶν ἐν τῷ χρῆσθαι μᾶλλον ἢ ἐν τῷ κεκτῆσθαι.* [2] Eth. IV, 1. 1120, 17: *καὶ ῥᾷον δὲ τὸ μὴ λαβεῖν τοῦ δοῦναι· τὸ γὰρ οἰκεῖον ἧττον προΐενται μᾶλλον ἢ οὐ λαμβάνουσι τὸ ἀλλότριον.* [3] Eth. IV, 7. 1123 b, 13: *ἔστι δὴ ὁ μεγαλόψυχος τῷ μὲν μεγέθει ἄκρος τῷ δὲ ὡς δεῖ μέσος· τοῦ γὰρ κατ' ἀξίαν αὑτὸν ἀξιοῖ.*

ἀξία λέγεται πρὸς τὰ ἐκτὸς ἀγαθά, Ibid.) atque magnanimus, quum, ut diximus, *τῷ μεγέθει ἄκρος* sit, summo sese externo bono dignum existimat; is honos est, qualis et diis immortalibus tribuatur. Unde efficitur, ut magnanimus vir virtute praeditus sit ita oporteat, ut magnanimitas virtutis quasi ornamentum appareat (IV, 7. 1123 b, 17—1124, 3.). Quid enim? Qui vere dignus aestimari honore potest is, qui turpis sit: quippe qui honos ipsum virtutis praemium sit nullisque nisi probis hominibus atque honestis tribuatur.?[1] Itaque tam difficile est magnanimum esse; immo nemo ejusmodi esse potest *ἄνευ καλοκἀγαθίας* (1124, 3 sq.). Inde apparet magnanimi interesse, ut sibi ab hominibus praeclarissimis honestissimisque honos quem sibi jure meruit tribuatur, qua re gaudio non exsultabit propterea quod honorem sui proprium esse censet.[2] Magnanimus igitur etsi maxime versatur *περὶ τιμὰς ὡς δεῖ*, tamen et divitiis et potestate et caeteris bonis sese dignum esse judicat: qua in re ipsius animus maxime elucet, quod neque prosperrima quidem fortuna immodice gaudet, neque rebus adversis dolore angitur nimis acerbo. (IV, 7. 1124, 12—16).[3] Honorem autem non summum bonum judicat, quum externum sit neque sua ipsius causa sed virtutis et honeste agendi conscientiae causa expetatur. Magnanimus enim, quum virtutis summam complectatur, honorem non satis magnum sibi praemium esse posse sentit ac scit. Quem hac sola de causa accipit, quia homines non habent quod majoris boni praecellenti viro tribuant. (1124, 7—9.—fin.). Illius vero virtutis, quae magnanimitati propinqua inter *φιλοτιμίαν* et *ἀφιλοτιμίαν* media posita est, eo minus in rhetorice fit mentio quod et nomine caret neque ab ullo alio nisi ab ipso philosopho nostro, qui mediocritatis ratione utatur, cerni potuit, quam in rhetorice praetereundam esse per se constat. Nam quum *φιλοτιμία* et *ἀφιλοτιμία* inter se oppositae ac quasi res extremae vituperari soleant, inter has medium aliquid inveniri necesse est. (Cf. IV, 10).

Nunc vero quum ad **justitiam** explicandam et comparan-

---

[1] Eth. VIII, 16. 1163 b, 3: *τῆς μὲν γὰρ ἀρετῆς καὶ τῆς εὐεργεσίας ἡ τιμὴ γέρας.* [2] IV, 7. 1124, 5: *καὶ ἐπὶ μὲν ταῖς μεγάλαις (τιμαῖς) καὶ ὑπὸ σπουδαίων μετρίως ἡσθήσεται, ὡς τῶν οἰκείων τυγχάνων ἢ καὶ ἐλαττόνων.* [3] Ibid. v. 15: *καὶ οὔτ' εὐτυχῶν περιχαρὴς ἔσται οὔτ' ἀτυχῶν περίλυπος.* Cf. Eth. I, 11. p. 1100 b, 30—33.

dam transeamus majorem qnam in caeteris virtutibus modo tractatis congruentiam definitionis quam rhetorice tradit et justitiae et injutitiae: *ἔστι δὲ δικαιοσύνη μὲν ἀρετὴ δι' ἣν τὰ αὑτῶν ἕκαστοι ἔχουσι, καὶ ὡς ὁ νόμος, ἀδικία δὲ δι' ἣν τὰ ἀλλότρια, οὐχ ὡς ὁ νόμος*, cum ethices de his disputatione videbimus, hac quoque in re omissa mediocritatis ratione. Aristoteles plura esse justitiae genera docet, quum addat, multis modis justitiam appellari, sed quae propinqua sint et ejusdem nominis genera sane latere (V,2 init.). Primum quidem quum injustus dicatur qui contra leges faciat, justus autem qui iis obtemperat, omnia legitima justa esse apparet, et justitia ea virtus est qua qui praeditus est secundum legem agit, ita ut haec justitia merito vocetur universa et perfecta virtus[1] (*ὅλη, τελεία*), neque a virtute ipsa alia causa distat quam quod illa est justitia ex ea ratione qua ad alios pertinet, haec virtus per se spectata, ex ea ratione qua talis quidam habitus est *ἁπλῶς*.[2] Namque leges, quibus quidem id quod aut universae civium multitudini aut optimatibus iisque qui imperium tenent utile est, curae sit, de omnibus, quaecunque ad publicam hominum societatem civilem spectant, rebus, certam quandam sive virtutis sive alius cujusdam laudis normam sequutae, disputant atque inquirunt.[3] Quin etiam, ut jam dictum est, ipsae virtutes legibus imperantur: quod maxime ex eo intelligi potest, quod, quemadmodum justitiae secundum legem, *ὅλῃ ἀρετῇ*, plane opposita est *ὅλη κακία*,[4] injustitia contra legem, sic quicunque in virtute aliqua peccat, injuste agit: veluti si quis aut arma abjecerit non modo ignaviae, aut si nimium sibi honoris arrogaverit non modo *φιλοτιμίας*, aut si alium in difficultatibus versatum non adjuverit non modo illiberalitatis, sed omnibus de his etiam injustitiae in crimine erit, quod contra leges egerit.[5]

---

[1] Eth. V, 3 init. — 1129 b, 26. [2] L. l. 1130, 10: ..*διαφέρει ἡ ἀρετὴ καὶ ἡ δικαιοσύνη αὕτη . . . ἔστι μὲν γὰρ ἡ αὐτή, τὸ δ' εἶναι οὐ τὸ αὐτό, ἀλλ' ᾗ μὲν πρὸς ἕτερον, δικαιοσύνη, ᾗ δὲ τοιάδε ἕξις ἁπλῶς, ἀρετή.* Cf. de hac interpunctione Trendelenb. Histor. Beiträge II. p. 356 sq. [3] L. l. 1129 b, 14—17. VIII, 11. 1160, 11—14. [4] Eth. V, 3. 1130, 10. Rhet. I, 10. 1368 b, 13: *δι' ἃ δὲ προαιροῦνται βλάπτειν καὶ φαῦλα ποιεῖν παρὰ τὸν νόμον, κακία ἐστὶ καὶ ἀκρασία.* [5] Eth. l. l. 1129 b, 19—25. Rhet. l. l. v. 14: *ἐὰν μὲν γάρ τινες ἔχωσι μοχθηρίαν ἢ μίαν ἢ πλείους, περὶ δὲ*

Leges igitur quum, quod unumquodque vitium sequi vetant, unicuique virtuti convenienter vivere jubeant, justitia ad leges referri dicitur: haec omnium optima apparet qua neque Hesperus neque Lucifer admirabilior est. Atque recte est in proverbio „justitia in sese virtutem amplectitur omnem.“ (V, 3. 1129 b, 27—30). Quam ob rem justitia una ex omnibus virtutibus alienum quoddam bonum esse videtur, quoniam ad alios pertinet; optimus autem vir non is est qui in se ipse sed qui erga alium virtute utitur. (Ibid. 1130 3—8).[1] Hactenus igitur et ethicen et rhetoricen in justitia explicanda consentire videmus. Atque id quoque in utriusque definitionem quadrat, quod in actione et voluntatem liberam et animi consilium inesse opus utraque singulatim tradit, ut aut juste aut injuste facta possit videri (Rhet. I, 9. 1367 b, 23. I, 10. 1368 b, 11 sqq.). Atque ethice quidem quum separatim hac de re disputet eorum opiniones refutat, qui cognita habere et justa et injusta magni negotii esse negent, quoniam ea justa sint, quae jubeantur a legibus agi, quas quidem scire et nosse non difficile sit. Sed aliud est juste facere, aliud justum esse: neque enim ob ejusmodi actiones justi homines censentur, sed ob voluntatem animique rationem quacum res gerunt. Itaque inepte existimant, qui justos homines posse nihilominus injuste agere contendunt, sicut vir fortis quum voluit clypeum abjicere et tergum vertere poterit. Quamquam id ejus est qui ut servus domino sic legi obtemperans rem aliquando fortem gessit; qui tamen ex animo ac consilio fortis homo legi paret, nunquam ignave agere potest: quo eodem modo se habent justa et injusta.[2]

Sed praeter hanc universalem justitiam etiam particularis est et justitia et injustitia (*ἐν μέρει ἀρετῆς δικαιοσύνη* (V. 4 init.), *ἐν μέρει ἀδικία* (V. 5 1130b, 17). Enimvero quamquam omnia

---

τοῦτο ὁ μοχθηροὶ τυγχάνουσιν ὄντες, καὶ ἄδικοί εἰσιν, οἷον ὁ μὲν ἀνελεύθερος περὶ χρήματα ὁ δ' ἀκόλαστος περὶ τὰς τοῦ σώματος ἡδονάς κτλ.

[1] Rhet. I, 9. 1366 b, 5: *διὰ τοῦτο τοὺς δικαίους καὶ ἀνδρείους μάλιστα τιμῶσιν· ἡ μὲν γὰρ ἐν παλέμῳ, ἡ δὲ καὶ ἐν εἰρήνῃ χρήσιμος ἄλλοις.*

[2] Eth. V, 13. 1137, 7. . . *πατάξαι τὸν πλησίον καὶ δοῦναι τῇ χαιρὶ τὸ ἀργύριον ῥάδιον καὶ ἐπ' αὐτοῖς. ἀλλὰ τὸ ὡδὶ ἔχοντας ταῦτα ποιεῖν οὔτε ῥάδιον οὔτ' ἐπ' αὐτοῖς* Cf. Rhet. I, 13. 1374, 13: *οὐ γὰρ εἰ ἐπάταξε, πάντως ὕβρισεν, ἀλλ' εἰ ἕνεκά του, οἷον τοῦ ἀτιμάσαι ἐκεῖνον ἢ αὐτὸς ἡσθῆναι, οὐδὲ πάντως, εἰ λάθρᾳ ἔλαβεν, ἔκλεψεν, ἀλλ' εἰ ἐπὶ βλάβῃ κτλ.*

alia quae injuste facta sunt ad aliud vitium quoddam referenda esse diximus, unum tamen est quod nulla ex alia re quam ex justitia et injustitia manat: lucrum facere sive πλεονεκτεῖν. Nam si quis clypeum abjecerit tum ignave tum injuste aget, quia contra legem fecerit, qui autem plus aliquid consequitur, πλεονεκτεῖ, saepe nullo alio vitio nisi injustitia peccabit (V, 4. 1130, 14—22). Quod quidem rhetorice ante oculos non ponit, sed omnia injuste facta ad aliud vitium refert. (vid. sup. p. 62 not. 5), ideoque quod proposito convenienter solius communionis publicae ratio habetur atque illi universali injustitiae congruenter τὸ ἀδικεῖν definitur βλάπτειν ἑκόντα παρὰ τὸν νόμον (I, 10 p. 1368 b, 6), quae posteriora verba ethice non recepit (V, 11, 1236 εἰ δ' ἐστὶν ἁπλῶς τὸ ἀδικεῖν τὸ βλάπτειν ἑκόντα τινά). Quodsi vere dicitur injustitia particularis in lucro faciendo, πλεονεξίᾳ, consistere, justitiae erit, quoniam πλεονεξίᾳ inaequalitas orta est, aequam rationem servare, et quoniam injustum inaequale est justum aequale esse oportet. (V, 2, p. 1129, 32 sqq. 5 init.). Hujus autem justitiae genera sunt duo, alterum distributivum (τὸ διανεμητικόν), alterum correctivum (τὸ διορθωτικόν). Atque in primo quidem illo agitur de publice distribuendis bonis (V, 5. 1130b, 30—1131), quae quum pro dignitate, κατ' ἀξίαν, dividantur, quoniam tantum cuique a civitate petere licet quantum illi praestitit, distributio rei B, quae personae A traditur in hujus praestantia posita ac defixa est, ac rei D in praestantia personae C. Itaque hoc justitiae genus analogian quasi quandam geometricam ita obtinet, ut personae A eadem ratio est ad rem B, quae illi tribuitur, quae personae C est ad rem D; vicissim igitur A:C=B:D (V, 6. 1131, 25 sqq. c. 7). Quam ob rem hujus est justitiae aequam rationem habere inter cives, et quum aequale medium sit etiam justum medium esse oportet. (V, 6 init.). De hac reipublicae civibus reddenda justitia rhetorice nihil significat, quae solam ejus injustitiae qua adducti cives in rempublicam impetum faciunt mentionem facit, veluti si quis officio ad bellum proficiscendi non satisfecit (I, 13. p. 1374, 24). Alterum deinde genus justitiae quae in corrigendo sita est rethorices prima definitionis pars complectitur; eique locus est in iis quae homines tum sponte tum invite inter se contrahunt; in eorum numero quae sponte fieri solent, sunt

venditio, emptio, mutuum multaque alia, in eorum quae invite fiunt altera sunt clandestina, ut furtum, adulterium, altera violenta, ut verbera, vincula, alia (V. 5. 1131, 1 sqq.).[1] Sed hoc justitiae genus quamquam et ipsius est aequam rationem servare, ideoque et jus quod corrigendi vim habet aequale quiddam est, ab illo tamen superiore differt eo quod non geometricam sed arithmeticam obtinet analogiam. Hoc enim non ad hominis dignitatem ac praestantiam sed ad solam rem, ad lucrum spectat, quod alius fecit, et ad damnum quod alius cepit. Quae verba quam latissime patere arbitreris, quum proprie dici non posse videatur de lucro, si quis quem percussit, etiamsi injuste egit. Hujus igitur justitiae est inaequalitatem tollere et proportionem arithmeticam restituere, quoniam hac in re homines ut aequales per se, non ex consecutione aestimantur, quum nihil referat, utrum vir praestantissimus (*ἐπιεικής*) hominem improbum (*φαῦλον*), an homo improbus virum bonum fraudaverit, i. e. ab aequalitate discedat, quod de alieno bono tanto plus sibi arrogavit, quanto ille minus habet quam habere decet. Aequalitatis autem restituendae auctor poena est, quae injusto lucro alteri detrahendo alterius damnum compensare conatur, sicuti, ut linea in duas partes inaequales divisa partibus sit aequalibus, id quo major pars dimidium superat illi aufertur et minori parti additur. Ergo jus correctivum medium est inter damnum et lucrum. Quocirca judicem qui quasi quoddam jus animatum est vocant interpretem medii, quum suum quisque habere existimet, si medium quod est aequale assequutus sit. (Cf. V, 7, 1131 b, 25. – c. 8; 1132, 28 . . . *τότε φασὶν ἔχειν τὰ αὑτῶν ὅταν λάβωσι τὸ ἴσον.* b, 16: *ὅταν δὲ μήτε πλέον μήτ' ἔλαττον ἀλλ' αὐτὰ δι' αὑτῶν γένηται, τὰ αὑτῶν φασὶν ἔχειν.* Rhet. I, 9. *ἔστι δὲ δικαιοσύνη ἀρετὴ δι' ἣν τὰ αὑτῶν ἕκαστοι ἔχουσιν*). Sic igitur in justitia quoque ethice mediocritatis rationem tuetur; quae justitia tamen hoc in

---

[1] Cf. Rhet. I, 15. 1376 b, 15; si uterque fateatur pactum initum esse, oratoris esse ait Aristoteles pro sua causa vim illius amplificare hisce verbis: *ἡ γὰρ συνθήκη νόμος ἐστὶν ἴδιος καὶ κατὰ μέρος, καὶ αἱ μὲν συνθῆκαι οὐ ποιοῦσι τὸν νόμον κύριον, οἱ δὲ νόμοι τὰς κατὰ τὸν νόμον συνθήκας. καὶ ὅλως αὐτὸς ὁ νόμος συνθήκη τις ἐστίν, ὥστε ὅστις ἀπιστεῖ ἢ ἀναιρεῖ συνθήκην, τοὺς νόμους ἀναιρεῖ. ἔτι δὲ πράττεται τὰ πολλὰ τῶν συναλλαγμάτων καὶ τὰ ἑκούσια κατὰ συνθήκας, ὥστε ἀκύρων γιγνομένων ἀναιρεῖται ἡ πρὸς ἀλλήλους χρεία τῶν ἀνθρώπων.*

genere a ceteris virtutibus discrepat, quod non media est inter duo vitia, sed omnino inter nimias et eas res quaeminores sunt quam sat est,[1] quod recte lingua vernacula redditit Garvius: „sie sucht in ihrem Gegenstande das Mittlere oder die Gleichheit" (II. 218). Etsi enim juste facere (*δικαιοπραγία*) medium dicitur inter injuriam et faciendam et accipiendam (V, 9 init.), tamen ne hoc ipso quidem justitia caeteris virtutibus par est, quod injuriam accipere vitio caret, quia voluntate non admixta fieri et ethice et rhetorice tradit.[2] Fieri enim potest, ut quis sua sponte ab aliquo afficiatur damno, non injuria, sicut et suo quisque ipse nocere potest, non injuriam facere.[3] Ob hanc ipsam causam ethice patris in infantem injustitiam existere negat, quod ipsius sit suaque res propria, cui nemo de industria noceat. (V, 10. 1134 b, 9—13). Itaque justitiae sola injustitia contraria est eaque universalis consistit in iis quae contra legem sunt, particularis in inaequalitate, aut hominum dignitatis (*ἀξίας*) ratione habita aut ipsarum rerum, sive haec quidem in lucro faciendo, aut, ut rhetorice ait, in alienis bonis sibi arrogandis, *ἀδικία δὲ δι' ἣν τὰ ἀλλότρια (ἔχουσιν)*. Inde ethice Pythagoreorum sententiam, esse justitiam mutuam quandam perpessionem sive talionem, *ἀντιπεπονθός*, terminis circumscribit, quod neque in jus distributivum neque in correctivum quadrare, sed tantum in communitates rerum ultro citroque permutandarum (*τὰς κοινωνίας τὰς ἀλλακτικάς*), neque illud simpliciter et per se ita fieri solere, sed ex analogia quadam et ex rerum ratione neque ex aequalitate, tradit atque affert.[4] Cujus rei causa nummus in usum venit, quo omnia quae ad hominum commercium pertinent facile dimetari aestimarique possunt. (V, 8 1133, 25—31. IX, 1. 1164, 1 sq.). Denique de rhetorice cum ethice comparata discrimen quoddam, quod est inter genus judiciale et reliqua orationis genera tractanda, nobis animadvertendum est. In genere enim deliberativo et demonstrativo Ari-

---

[1] Cf. V, 9. [2] Eth. V, 15. 1138, 28 sqq. [3] Eth. V, 11, 1136 b, 5: *βλάπτεται μὲν οὖν τις ἑκὼν καὶ τἄδικα, ἀδικεῖται δ' οὐδεὶς ἑκών.* (Cf. V, 15). Minus distincte rhetorice, I, 13. 1373 b, 29 . . *ἀνάγκη τὸν ἀδικούμενον βλάπτεσθαι καὶ ἀκουσίως βλάπτεσθαι.* [4] Vid. quod hoc in genere nuper scripsit Trendelenb. Historische Beiträge etc. III. p. 406 sqq. 1867.

stoteles quae sint pulchra sive honesta quaeque bona et utilia persecutus, ex his contraria elucere dicit (I, 6 init. I, 9 fin.). De genere autem judiciali disputans quid sit injuriam facere quidque sit injustum exponit. Itaque in hujus generis locis constituendis, ut ita dicam, negative se habet vel se habeat necesse est, quod contrario uti non potest orator. Neque enim ut coram ethico sic in forensi tribunali agitur de causa utrum justa an injusta, sed utrum injusta an n o n injusta sit. Rhet. I, 13—1374, 10: *ἔστι δὲ πάντα περὶ τοῦ ἄδικον εἶναι καὶ φαῦλον ἢ μὴ ἡ ἀμφισβήτησις.* Itaque *τῷ μὲν κατηγοροῦντι πόσα καὶ ποῖα τούτων ὑπάρχει τῷ ἀντιδίκῳ σκεπτέον, ὧν ἐφιέμενοι πάντες τοὺς πλησίον ἀδικοῦσι, τῷ δ'ἀπολογουμένῳ ποῖα καὶ πόσα τούτων οὐχ ὑπάρχει.* (Rhet. I, 10. 1368b, 29—32).

Ab justitia et justo non genere sed usu tantum diversum est **aequum** et **aequitas** (*ἐπιείκεια*); atque ethice quidem ut in unaquaque quaestione sic hac in re *ἀπορίας* quae objiciuntur dissolvit. Videtur enim aequum ab justi notione alienum esse, nam si justum illud perfectum (*σπουδαῖον*) est, aequum, quum sit *παρὰ τό δίκαιον*, perfectum esse nequit, sin autem utrumque perfectum est, idem esse oportet.[1] Sed jus absolutum re vera quidem concurrit cum jure civili, idemque est cum ea ratione in qua unum ad alterum et unumquemque ad omnium communitatem esse decet, ut haec *πρὸς αὐτάρκειαν* perveniat, quare verum jus inter eos tantum cernitur quibus lex est. (V, 10. 1134, 24—30) Homines enim leges constituunt, ut juris fundamentum habeant, ut ratio, non homo imperet, qui quidem facile tyrannus fieri possit. (Ibid. v. 35 sq.) Quae quum ita sint, legibus tamen non omnia, quae justa habenda sint, comprehendi possunt, qui fit, ut jus civile partim naturale partim legitimum sit, aut, ut legitur in rhetorice (I, 10, 1368 b, 7. I, 13. p. 1373 b, 4), partim *νόμος ἴδιος* partim *κοινός*, qui idem est naturalis (*κατὰ φύσιν* Ibid. v. 6), qui ubique idem valeat (Ibid. v. 7 sq. Eth. V. 10. 1134 b, 19). Lex propria deinde dividitur in rhetorice in eam quae literis mandata et in eam quae non mandata est (I, 13. 1373 b, 5 sq.); sed lex universalis, quum eadem literis non man-

[1] V, 14. p. 1137 b, 4: *ἢ γὰρ τὸ δίκαιον οὐ σπουδαῖον ἢ τὸ ἐπιεικές, (οὐ δίκαιον) εἰ ἄλλο· ἢ εἰ ἄμφω σπουδαῖα, ταὐτόν ἐστιν.* Cf. Trendelenb. Histor. Beiträge II p. 346.

data sit, lex sive jus proprium, scriptum, jus universale, non scriptum esse merito dici potest.[1] Duplex enim est causa cur lex scripta quascunque res de quibus homines contendunt amplecti nequeat, et quod generaliter legi loquendum est et quod quando generale quiddam inveniri non potest ad quod singula quaeque referantur.[2] Nimirum in lege ferenda fieri potest ut ipse qui fert interdum aliquid negligat (Rhet. I, 13. p. 1374, 29), sed plerumque culpa neque in lege neque in legislatore sed in ipsa rei natura, quoniam lex ad res agendas adhibetur, quibus abunde satisfieri nequit.[3] Itaque ubi a lege, quoniam generaliter loquitur, quid omissum est, aequum intercedens fit supplementum et correctio juris legitimi, quare melius jus dici potest.[4] Aequum igitur quum jus sit ultra legis scriptae rationem[5] provectum, vir aequus (*ἐπιεικής*) is est, qui jus quasi quoddam summum non sequatur sed, tametsi legem habet adjutricem, de suo concedat, quique, quod rhetorice enumerat, arbitrio potius quam judicio se subjiciat; arbiter enim aequitatem, judex legem spectat. (I, 13, 1374 b, 20 sqq.) Idem et verbi et literas legis non sequitur sed legislatoris voluntatem ac consilium, et quae in rhetoricis plura leguntur (Ibid. 10. sqq.). Sed ne hoc quidem in genere eadem ratione atque ethice respicit rhetorice honestatem ipsam; nam etiamsi aequum esse dicit *μὴ πρὸς τὴν πρᾶξιν ἀλλὰ πρὸς τὴν προαίρεσιν σκοπεῖν* (Ibid. v. 14), ethice tamen hoc ad uniuscujusque causae aut honestatem aut turpitudinem refert. Atque haud scio an ex hoc differentiae causa quae est inter rheto-

---

[1] Rhet. I. 1374, 18: *ἐπεὶ δὲ τῶν δικαίων καὶ τῶν ἀδίκων ἦν δύο εἴδη, (τὰ μὲν γὰρ γεγραμμένα τὰ δὲ ἄγραφα* . . Cf. Eth. VIII, 15, 1162b, 21: *ἔοικε δὲ καθάπερ τὸ δίκαιόν ἐστι διττόν, τὸ μὲν ἄγραφον τὸ δὲ κατὰ νόμον κτλ.* [2] Eth. V, 14. 1137b, 13 . . . *v.* 27: *τοῦτο γὰρ αἴτιον καὶ τοῦ μὴ πάντα κατὰ νόμον εἶναι, ὅτι περὶ ἐνίων ἀδύνατον θέσθαι νόμον, ὥστε ψηφίσματος δεῖ.* [3] Ibid. v. 17. Cf. Rhet. I. 13. 1374. 28—33. [4] Eth. V, 14. 1137, 20—25. v. 26: *καὶ ἔστιν αὕτη ἡ φύσις ἡ τοῦ ἐπιεικοῦ, ἐπανόρθωμα νόμου, ᾗ ἐλλείπει διὰ τὸ καθόλου.* Cf. v. 8 sq. [5] Rhet. I, 13. 1374, 26: *τὸ γὰρ ἐπιεικὲς δίκαιον δοκεῖ εἶναι, ἔστι δὲ ἐπιεικὲς τὸ παρὰ τὸν γεγραμμένον δίκαιον.* Eth. V. 14. 1137b, 10: *ταὐτὸν ἄρα δίκαιον καὶ ἐπιεικές, καὶ ἀμφοῖν σπουδαίοιν ὄντοιν κρεῖττον τὸ ἐπιεικές· ποιεῖ δὲ τὴν ἀπορίαν ὅτι τὸ ἐπιεικὲς δίκαιον μέν ἐστιν, οὐ τὸ κατὰ νόμον δὲ, ἀλλὰ ἐπανόρθωμα νομίμου δικαίου.* Cf. L. 1 1137b, 34—1138, 1—3. V, 12. p. 1136b, 20 sq. —

rices et ethices ἀδικήματος definitiones repeti possit. Rhetorice enim ἀδικήματα vocat ὅσα μήτε παράλογα ἀπὸ πονηρίας τ'ἐστίν p. 1374 b, 9), quod, simulatque scelus commissum est, judicium forense non tantopere ut ethicum discernit, utrum antegressa sit deliberatio an animi perturbatione actum sit, ideoque rhetorice constituit τὰ (γὰρ) δι' ἐπιθυμίαν ἀπὸ πονηρίας (Ibid. v. 10), quum utique hominum societati damnum illatum sit, quod compensetur necesse est.[1] At ethicus non de actionis eventibus sed tantum de ejus qui agit moribus et animo quaerit, quam ob rem nulla alia actio ad turpitudinem refertur quam cui deliberatio antegressa sit, quoniam sane quae homines per iram vel aliam animi perturbationem commiserint ἀδικήματα dici possunt, quum ipsi injusti i. e. turpi et improbo animo non sint, qui res gesserunt.[2] Itaque definit ethice ἀδίκημα commissum esse ὅταν εἰδὼς μὲν μὴ προβουλεύσας δέ (V, 10. 1135 b, 20). Ex eadem illa causa recte quae per iram facta sunt non judicantur facta esse consulto, quod irascens sui animi impotens sit, iisque quae e cupiditatibus et naturalibus et necessariis evenerint venia sit danda.[3] Inter ἀτυχήματος vero definitiones differentia esse videtur, non est, certe quidem non re sed verbo tantum. Etenim si rhetorice ad verba: ἔστι δ'ἀτυχήματα μὲν ὅσα παράλογα etiam addit καὶ μὴ ἀπὸ πονηρίας (1374 b, 6), quae ethicae absunt, quum legatur: ὅταν μὲν οὖν παραλόγως ἡ βλάβη γένηται, ἀτύχημα (1135 b, 16), illud quidem per se intelligi potest. Quae enim praeter opinionem commissa sunt turpitudinis esse nequeunt, quod agendi principium extra agentem situm est: ἁμαρτάνει

---

[1] Trendelenb. „Naturrecht auf dem Grunde der Ethik“ §. 15. p. 20: … „der Begriff des Rechts (steht) in wesentlichem und innerem Verhältniss zu dem Inhalt des Sittlichen, und die philosophische Rechtslehre ist nur auf der Grundlage der Ethik möglich. Die Trennung des Juridischen und Ethischen, des Legalen und Moralischen ist modern; Plato und Aristoteles behandeln beides in dem Gedanken der Einheit.“ Hoc quidem verum est neque nostram sententiam impugnat; aliud enim philosophi doctrina complectuntur, aliud in usu hominum est. [2]) V, 10. 1135 b, 22: ταῦτα γὰρ βλάπτοντες καὶ ἁμαρτάνοντες ἀδικοῦσι μέν, καὶ ἀδικήματά ἐστιν, οὐ μέντοι πω ἄδικοι διὰ ταῦτα οὐδὲ πονηροί· οὐ γὰρ διὰ μοχθηρίαν ἡ βλάβη. ὅταν δ'ἐκ προαιρέσεως, ἄδικος καὶ μοχθηρός. [3] Ibid. 25: διὸ καλῶς τὰ ἐκ θυμοῦ οὐκ ἐκ προνοίας κρίνεται· οὐ γὰρ ἄρχει ὁ θυμῷ ποιῶν, ἀλλ' ὁ ὀργίσας. Cf. Zell. ad Eth. p. 190. Cf. Eth. VII 7.

μὲν γὰρ οταν η ἀρχὴ ἐν αὐτῷ ᾖ τῆς αἰτίας, ἀτυχεῖ δ᾽ ὅταν ἔξωθεν. (Ibid. v. 18 sqq.).

Jam ex **vitiorum** numero de injustitia, una justitiae contraria, jam disseruimus. Ceterorum autem quod est inter ethicen et rhetoricen discrimen in diversis contrariarum rerum, virtutum, definitionibus defixum est. Sed quum ethice excepta justitia, omni morali virtuti, quippe quae modiocritates sint, duo vitia opposita esse doceat, isti libri in universum eo differunt, quod rhetorice unum modo vitium virtuti contrarium agnoscit, nimirum id extremum, quod altero magis procul abesse a medio ipse tradit Aristoteles. Six ignavia magis fortitudini contraria est quam temeritas, quae potius illi similis et propinqua est (Eth. II, 8. 1108b, 31), temperantiae magis intemperantia quam stupor (*ἀναισθησία*), qui perraro cernitur et ab humana conditione ac natura aliena est (III, 14. 1119,b. sq.), illiberalitas magis liberalitati quam effusio (*ἀσωτία*), quod haec quidem multum liberalitatis naturae complectitur ac facile ad rectam rationem modumque reduci potest, illa vero insanabilis est (IV, 3. 1121, 19—30). Et item reliqua.

Sed inter virtutes morales in rhetorice locus non est iis, quas quidem ethice illis adnumerat, virtutibus datus, quae ad hominum familiarem usum consuetudinemque pertinent, quaeque, quum inter duo extrema mediae sint positae, partim ne in ethice quidem nomine describi possunt (cf. IV, 12. 1126b, 19—c. 13 init.), partim ad rhetoricen quod attinet leguntur in disputatione de affectibus. Sic *πραότης* quae ab ethice definitur *μεσότης περὶ ὀργάς* (IV, 11), in rhetoricis ut irae contraria. ac nomine *πραΰνσεως* dicitur *κατάστασις καὶ ἠρέμησις ὀργῆς* (II, 3 init.). Ceterae virtutes, ut ita dicam, sociales plus minusve amicitia comprehenduntur, a qua aliquam nomine carentem eo tantum differre quod affectu vacet, Aristoteles prodit in ethice[1] (IV, 12). Liceat igitur locos quosdam ex utrisque libris inter se respondentes, qui de hominum familiaritate consuetudineque agunt, afferre. Rhet. II, 4 1381, 30: *ἔτι (φιλοῦσι) τοὺς ἡδεῖς συνδιαγαγεῖν καὶ συνδιημερεῦσαι· τοιοῦτοι δ᾽ οἱ εὔκολοι καὶ μὴ ἐλεγκτικοὶ*

[1] p. 1126b, 22: *διαφέρει δὲ τῆς φιλίας ὅτι ἄνευ πάθος ἐστὶ καὶ τοῦ στέργειν οἷς ὁμιλεῖ.* Cf. VIII, 7. 1157b, 28: *ἔοικε δ᾽ ἡ μὲν φίλησις πάθει, ἡ δὲ φιλία ἕξει.*

τῶν αμαρτανομένων καὶ μὴ φιλόνεικοι μηδὲ δυσέριδες· παντες γὰρ οἱ τοιοῦτοι μαχητικοὶ, οἱ δε μαχόμενοι τἀναντία φαίνονται βούλεσθαι. L. l. 69: καὶ τοὺς μὴ ἀντιτείνοντας τοῖς ὀργιζομένοις ἢ σπουδάζουσιν. Eth. IV. 12 init: Ἐν δέ ταῖς ὁμιλίαις καὶ τῷ συζῆν καὶ λόγων καὶ πραγμάτων κοινωνεῖν οἱ μὲν ἄρεσκοι δοκοῦσιν εἶναι, οἱ πάντα πρὸς ἡδονὴν ἐπαινοῦντες καί οὐδὲν ἀντιτείνοντες, ἀλλ' οἰόμενοι δεῖν ἄλυποι τοῖς ἐντυγχάνουσιν εἶναι. οἱ δ' ἐξ ἐναντίων τούτοις πρὸς πάντα ἀντιτείνοντες καὶ τοῦ λυπεῖν οὐδ' ὁτιοῦν φροντίζοντες, δύσκολοι καὶ δυσέριδες καλοῦνται. VIII. 6. 1157 b, 15: οὐδεὶς δὲ δύναται συνημερεύειν τῷ λυπηρῷ οὐδὲ τῷ μὴ ἡδεῖ. VIII. 7, 1158, 1: ἐν δὲ τοῖς στρυφνοῖς καὶ πρεσβυτικοῖς ἧττον γίνεται ἡ φιλία ὅσῳ δυσκολώτεροί εἰσι καὶ ἧττον ταῖς ὁμιλίαις χαίρουσιν. —

De **pudore** (αἰδώς) quasi ipsa virtus sit Aristoteles non agendum esse censet, quum affectus potius quam habitus similis est. Certe quidem definitur φόβος τις ἀδοξίας (Eth. IV. 15). Et profecto occurit nobis ut πάθος in rhetorice, sed αἰσχύνης nomine cujus ab ethice non aliena est definitio: λύπη τις ἢ ταραχὴ περὶ τὰ εἰς ἀδοξίαν φαινόμενα φέρειν τῶν κακῶν ἢ παρόντων ἢ γεγονότων ἢ μελλόντων. (II, 6). Hujus autem affectus naturam quum explicet Aristoteles, jactantiae ostentationisque, cujus hominem pudere deceat, signa quaedam enarrat. (II, 6. 1384. 5 sqq. Cf. Eth. IV, 13). Jam vero jocum ad quem virtus quaedam, εὐτραπελία, pertinet, media inter βωμολοχίαν et ἀγροικίαν (Eth. II, 7. 1108, 23—26. IV, 14), juvenes diligere, senes aegre ferre Aristoteles in rhetorice docet (II, 12 fin). Illi enim sunt εὐτράπελοι quum εὐτραπελία sit πεπαιδευμένη ὕβρις ac juvenes propensi sint ad superbiam. Atque de jocosa oratione Aristoteles disputans vituperat βωμολοχίαν, qua εἰρωνεία liberalior sit (III, 18 fin). Νέμεσις deinde quam et Magn. mor. (I, 28) et Eth. Eudem. (III, 7) inter virtutes receperunt, ab Eth. Nic. in brevi illo virtutum conspectu, quae ad mediocritatis rationem intelligendam afferuntur, collocata est, non ut virtus quidem sed ut affectus. Incipit enim Aristoteles (II, 7. 1108, 30): εἰσὶ δὲ καὶ ἐν τοῖς πάθεσι καὶ ἐν τοῖς περὶ τὰ πάθη μεσότητες· ἡ γὰρ αἰδὼς ἀρετὴ μὲν οὐκ ἔστιν . . . . . v. 35: νέμεσις δὲ μεσότης φθόνου καὶ ἐπιχαιρεκακίας. Ceterum Aristoteles ad aliam hujus rei disputationem nos revocat (1108 b, 7), qua Rhe-

toricorum de affectibus liber intelligi velle videtur,[1] ubi re vera copiosius atque uberius hac de re disputat (II, 9).

Restat ut unam quam distincte definit rhetorice virtutem rationalem, dico **prudentiam**, cum ethices definitione comparemus, cujus quae sit ad virtutes morales ratio, quod quidem ethica afferunt, quae rectum modum praecipiat, jam declaravimus (Cf. sup. p. 16 et 52). In rhetorice autem prudentiae non directa ad virtutes ratio est, quum definiatur: *ἀρετὴ διανοίας καθ' ἣν εὖ βουλεύεσθαι περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν εἰρημένων εἰς εὐδαιμονίαν* (I, 9. p. 1366 b, 20 sqq.), nisi quatenus etiam virtutes in bonorum, vitia in malorum numero sunt. Ceterum haec definitio comprehendit quod ethice de prudentis natura atque indole prodit: *δοκεῖ δὴ φρόνιμον εἶναι τὸ δύνασθαι καλῶς βουλεύσασθαι περὶ τὰ αὑτῷ ἀγαθὰ καὶ συμφέροντα οὐ κατὰ μέρος, οἷον πρὸς ὑγίειαν ἢ ἰσχύν, ἀλλὰ ποῖα πρὸς τὸ εὖ ζῆν* (VI, 5. init.), dum ipsa prudentia esse dicitur: *ἕξις ἀληθὴς μετὰ λόγου πρακτικὴ περὶ τὰ ἀνθρώπινα ἀγαθὰ καὶ κακά* (Ibid. p. 1140 b, 20 sq.), quae definitio in hunc modum invenitur. Quemadmodum enim eam animi partem quae rationis expers est bipartitam cognovimus, sic ea quae rationis particeps est in duas partes dividitur. Quarum altera (*τὸ ἐπιστημονικὸν*) contemplamur res aeternas et immutabiles, altera (*τὸ λογιστικόν*) ejusmodi res quae aliter se habere possunt, si quidem ea quae genere differunt etiam alia genere est cognoscendi facultas. Atque de his solis rebus homines deliberant sive ratiocinantur (*τὸ γὰρ βουλεύεσθαι καὶ λογίζεσθαι ταὐτόν*), nec quisquam de ejusmodi rebus deliberat quarum principia aliter se habere non possunt (VI, 2, 1139, 5—14). Hujus negotii virtus is erit habitus, per quem optime deliberari possit. In omni autem actione respicienda sunt appetitus, consilium et agendi finis. Jam vero agendi principium, *τὸ ὅθεν ἡ κίνησις*, consilium est, consilii vero appetitus et *λόγος*, qui ad finem spectat. Consilii est et perficere quod *λόγος* annuit et quod abnuit abjicere, ita ut, si consilium perfectum dici possit, nihil aliud sit quam quod appetitus rectus et *λόγος* verus sit.[2] Itaque *λόγου* propositum semper est veritas. Sunt autem quinque

[1] Spengel. ad. Rhet. p. 238. [2] VI, 2. p. 1139, 29: *τοῦ δὲ πρακτικοῦ καὶ διανοητικοῦ (ἔργον) ἡ ἀλήθεια ὁμολόγως ἔχουσα τῇ ὀρέξει τῇ ὀρθῇ.*

humani animi ad veritatem cognoscendam facultates: ars, scientia, prudentia, sapientia, mens. (VI, 3 init.) Quarum una prudentia rerum agendarum veritatem cognoscit. Scientia enim ad res immutabiles spectat, res agendae autem incertae ac vagae sunt (VI, 3. 1139 b, 18), mens ad principia, sapientia ad utraque, quare est scientia et mens (VI, 6 fin. 7, 1141, 17 sqq.). Has tres amplectitur *νοῦς θεωρητικός*. Ars autem quamquam ad ejusmodi res attinet quae aliter esse possunt (VI, 4), tamen finem non habet ipsam operationem sed opus, ejusque auctor est *νοῦς ποιητικός*, *πράξεως* vero *τέλος* nihil aliud est quam ipsa *εὐπραξία* (VI, 5. 1140 b, 4—7). Itaque *νοῦ πρακτικοῦ* veri cognoscendi actioni sola relinquitur prudentia, cujus ex his hactenus explicatis sequitur definitio: *ἕξις ἀληθὴς μετὰ λόγου πρακτική*. Prudentiae igitur, quum sit diligenter accurateque deliberare de ejusmodi rebus quae aliter se habere possunt, non modo actionis universalia sed etiam singula quaeque cognoscendum est, quippe quae sit *ἕξις πρακτική*, actiones vero ad singula pertineant.[1] Quin etiam singularum rerum experientiae multo plus indiget quam universalium cognitionis. Quocirca juvenes, etsi boni mathematici fiunt, prudentes esse non possunt, quod prudentiae fundamentum est experientia, cognitio e rebus singulis earumque usu hausta, juvenes autem magnum cognitionis usum habere non possunt, quia, ut ait Ovidius, serus venit usus ab annis. (VI, 9. 1142, 11—16). Vitium autem prudentiae contrarium et vim habet ac potestatem delendarum universalium rerum, principiorum, neque singula quaeque actionis cognoscere potest (VI, 5. 1140 b, 19 sq. c. 9. 1142, 21 sq.). Errat enim, verbi gratia, proposita bona valetudine, eadem ratione is qui aquas graves esse insalubres, qua qui hanc vell illam aquam gravem esse nesciat. (Ibid. 1142, 22 sq). Itaque prudentia, quum in omnibus hominum bonis versetur et quaque in re quid bonum factu sit inquirat, propria est virtus virorum qui administrandae rei publicae periti sunt. Pericles igitur et ejusmodi homines merito esse habentur prudentes, *ὅτι τὰ αὑτοῖς ἀγαθὰ καὶ τὰ τοῖς ἀνθρώποις δύνανται θεωρεῖν* (VI, 5. 1140 b, 8 sqq.). Attamen

[1] VI, 8. 1141 b, 14: *οὐδ' ἐστὶν ἡ φρόνησις τῶν καθόλου μόνον ἀλλα δεῖ καὶ τὰ καθ' ἕκαστα γνωρίζειν· πρακτικὴ γάρ, ἡ δὲ πρᾶξις περὶ τὰ καθ ἕκαστα.*

prudentia et πολιτική non eadem res est: illa enim magis singulorum, haec omnium communi saluti consulit. Sed prudentia et honestas et animi consilium ita dirigitur, ut nemo vir bonus esse possit, ut supra jam diximus, sine prudentia, nemo prudens, quin bonus sit; virtutis enim est efficere, ut rectum appareat existatque consilium Quod autem hujus causa fit non in virtutis proposito versatur, sed facultatis cujusdam, cui δεινότητος nomen, est, quae ei qui agit maxime instrumenta tribuit, quibus id quod intendit consequi possit. Neque vero δεινότης laudabilis est nisi finis bonus esse judicatur, sin autem malus, fit πανουργία (VI, 13. 1144, 20—27). Prudentiae vero partes quasi quaedam, quarum rhetorice nonnullas etiamsi commemorat, non explicat tamen (I, 6, 1361 b, 14), sunt εὐβουλία quae est ὀρθότης βουλῆς et ab εὐστοχίᾳ et ἀγχινοίᾳ eo differt, quod hae cogitatione quadam repentina recta inveniunt, illa vero deliberatione praeposita (VI, 10), tum σύνεσις, cujus est recte dijudicare id quod prudentia fieri jubetur (VI, 11. 1143, 8: η μὲν γὰρ φρόνησις ἐπιτακτική ἐστιν . . . ἡ δὲ σύνεσις κριτικὴ μόνον), denique γνώμη, quae in rebus aequis judicandis versatur. (Ibid. v. 19 sqq.) Sed haec omnia prudentia comprehenduntur, quae omnium νοῦ πρακτικοῦ virtutum dici potest quasi unitas (Cf. VI, 12). Indolis vero ac morum unum totum quiddam efficit ἐγκράτεια et καρτερία, quarum ob hanc ipsam causam in ethice locus est, quippe cui omnia quae ad honestatem pertinent et per singula et ex universo tractanda sint atque id agendum, ut continuatio seriesque virtutum, ut alia ex alia nexa et omnes inter se aptae colligataeque videantur, utque quomodo omnibus partibus inter se congruentibus cohaereant demonstretur atque explicetur. Atque in rhetorice ne nomina quidem illarum rerum leguntur, sed sola vitia ipsarum contraria, quorum homines pudeat, μαλακία et τρυφὴ[1] et juxta κακίαν ἀκρασία,[2] de qua ethice quoque loquitur in hunc modum: η μὲν γὰρ ἀκρασία ψέγεται οὐχ ὡς ἁμαρτία μόνον ἀλλὰ καὶ ως κακία τις ἢ ἁπλῶς οὖσα ἢ κατά τι μέρος[3]. Ceterum vero ἐγκράτεια et καρτερία non proprie virtutes dicuntur sed affectio-

[1] Cf. Rhet. II, 6, p. 1384, 1 sq. II, 16, 1391, 1—3. [2] I, 10. 1368 b, 13. [3] VII, 6. 1148, 2 sqq.

nes (VII, 1. p. 1145), quae sicut temperantia versantur in corporis voluptatibus (VII, 6), a qua tamen distant eo quod viro temperati animi cum appetitionibus jam pugnare non opus sit, sed quod ex certa quadam voluntatis et habitus ratione talis *σώφρων* existit. Vir autem *ἐγκρατὴς* cum voluptatibus contendit iisque resistit, doloribus resistit *καρτερός*, ne ad male agendum impellatur. Eodem autem modo se habent vitiosi illis contrarii affectus (VII, 9). Intemperans enim is est homo qui ex ipsa turpitudine ac consilio ipse in se peccet, *ἀκρατὴς* autem vincitur ac superatur in certamine cum voluptate commissa, *μαλακὸς* et *τρυφῶν* de pugna cum dolore instituta inferior discedit. (VII, 8).

Postremo vero quum etiam haec *πάθη*, breviter complexi simus, aequum est, ut et ambos de **amicitia** libros, quibus nihil pulchrius humaniusque scribi potest, cum rhetorices explicatione paucis verbis conferre.[1] Discrimen igitur quod intercedit hac de re inter ethicen et rhetoricen duplex est: alterum quod est de amicitiae natura percipienda, alterum de ratione qua tractetur. In rhetorice enim amicitia inter *πάθη* locum obtinet, quum ethice *φιλίαν πάθος* esse neget, *φίλησιν* esse dicat, quam distinctionem rhetorice ignorat. Deinde haec magis describit amicitiae signa et notas quam naturam atque dignitatem. Verumtamen virtus ne ex Aristotelis quidem sententia, sed cum virtute tantum conjuncta esse videtur amicitia, quum ipse dicat *φιλίαν* perturbatione non vacare, quo ab alia quodam habitu, *φιλίας* simillimo, nomine carente, quae vera virtus sit, aliquid differat.[2] Definitionem autem *τοῦ φιλεῖν*, unde

---

[1] Ex hoc altero libro facere non possumus, quin locum quendam afferamus, per occasionem, quo homo describitur qui suorum conscientia scelerum angitur, in huncce modum: *οἷς δὲ πολλὰ καὶ δεινὰ πέπρακται διὰ τὴν μοχθηρίαν, μισοῦσί τε καὶ φεύγουσι τὸ ζῆν καὶ ἀναιροῦσιν ἑαυτούς. ζητοῦσί τε οἱ μοχθηροὶ μεθ' ὧν συνδιημερεύσουσιν, ἑαυτούς δὲ φεύγουσιν. ἀναμιμνήσκονται γὰρ πολλῶν καὶ δυσχερῶν καὶ τοιαῦθ' ἕτερα ἐλπίζουσι, καθ' ἑαυτοὺς ὄντες, μεθ' ἑτέρων δ' ὄντες ἐπιλανθάνονται. οὐδὲν τε φιλητὸν ἔχοντες οὐδὲν φιλικὸν πάσχουσι πρὸς ἑαυτούς. οὐδὲ δὴ συγχαίρουσιν οὐδὲ συναλγοῦσιν οἱ τοιοῦτοι ἑαυτοῖς. στασιάζει γὰρ αὐτῶν ἡ ψυχή, καὶ τὸ μὲν διὰ μοχθηρίαν ἀλγεῖ ἀπεχόμενόν τινων, τὸ δ' ἥδεται, καὶ το μὲν δεῦρο τὸ δ' ἐκεῖσε ἕλκει ὥσπερ διασπῶντα.* (IX, 4. p. 1166 b, 11.) Quae quum ita sint, nescio an vere dici possit, inesse in Aristotele conscientiae notionis quasi semen. [2] Cf. Eth. VIII, 7. p. 1157 b, 28 sq. IV, 12. 1126 b, 19 sq.

φιλία duci potest, quam rhetoric habet: *τὸ βούλεσθαί τινι ἃ οἴεται ἀγαθὰ ἐκείνου ἕνεκα ἀλλὰ μὴ αὑτοῦ καὶ τὸ κατὰ δύναμιν πρακτικὸν τούτων* (II, 4 init.), non plenam esse ex ethice apparet, quum addendum sit illi „non obscure,“ [1] quod ni ita esset, sequeretur, etiam inter ignotos homines esse amicitiam, quod est absurdum. Praeterea *φιλίας* mentio ibi non fieri potest, ubi *ἀντιφίλησις* non apparet, ut etiam in rhetorice: *φίλος δ' ἐστὶν ὁ φιλῶν καὶ ἀντιφιλούμενος* (1381, 2), quae quum non sit inanimorum ne homo quidem horum amicus vocari potest (VIII, 2. 1155 b, 28 sqq.). Itaque verissima esse videtur amicitiae definitio Aristotelea vulgaris quaedam opinio, ex qua amicitia cum aequalitate et jure maxime affinis recte judicatur. [2] (Cf. VIII, 1. 9. 13. IX, 1). Ethice deinde e tribus rebus amabilibus i. e. amicitiae conditionibus tria ducit amicitiae genera. Quorum primum eorum est qui propter jucundum quiddam ad amicitiam alicujus se applicant, alterum quod propter utile, tertium quod propter bonum i. e. ex virtute jungitur (VIII, 2, 1155 b, 17 sqq.). Priorum autem utrumque amicitiae genus modo est *κατὰ συμβεβηκὸς* et facile dissolvi potest sublatis amicitiae conditionibus, id quod facile fieri potest, quoniam non semper idem sed hoc illud sive utile sive jucundum videtur esse (VIII, 3. 1156b, 16 sqq.), neque quidquam igitur prohibet, quominus utrumque id genus etiam inter improbos sit. [3] Illud autem amicitiae genus quod ex virtute exoriatur, perinde atque ipsa virtus, assidua et stabilis est, neque nisi inter bonos et virtute praeditos homines esse potest, qui per se quoque et utiles et suaves sunt. [4] Hoc quidem genus et perfectum et ipsis beatis opus est, quibus minime conveniat solitariis esse. [5] Praeter haec tria genera permultae etiam *φιλίας* quasi species quaedam sunt, velut *ἑταιρική, ξενική, ἀδελφική, συγγενική, ἐρωτική, πολιτική*, aliae, quarum nonnullas etiam rhetorice commemorat (II, 4 1381 b, 33): *εἴδη δὲ φιλίας ἑταιρεία, οἰκειότης, συγγένεια καὶ ὅσα τοιαῦτα.*

---

[1] VIII, 2. 1155b, 34 sqq. Cf. Giphan. ad Eth. p. 635 et 637. Ceterum definitionis prima modo pars non plena esse videtur. [2] Cf. Giphan. p. 637. — Cf. VIII, 15, ubi amicitia quae propter utilitatem fit ex analogia legum divisionis una statuitur *νομικὴ* altera *ἠθική*. [3] VIII, 5. 1157, 16 sqq. [4] VIII, 4. 1156 b, 7—18. [5] VIII, 6 fin. IX, 1. Satisfactum esse putaveris de his omnibus, quamquam permulti exstant loci, unum commemorasse.

Iam omnibus hac commentatione nobis propositis, quantum in nobis situm est, absolutis, eam, ut gratioso Graecorum verbo utar, χαίρειν ἐᾶν nequimus, non perscrutati, quomodo fieri potuerit, ut Aristoteles qui ipsis in indifferentibus rebus veri amorem, qui laudetur ac commendetur dignum habeat, [1] artem rhetoricam composuerit, qua quomodo quis modo pro veritate modo contra veritatem loqui possit atque, exempli gratia, praecepta det et alios locos enarret, quibus contra legem non scriptam et pro lege scripta et alios, quibus contra scriptam et pro non scripta lege agi possit. [2] Quaestio igitur, quam uno verbo attingam, quid sit quod Aristoteles a magno suo magistro discesserit, qui eloquentiae finem veritatem esse voluerit? Sed re ipsa ac consilio animoque a Platonis sententia non discessit, [3] quum ipse dicat: χρήσιμος δ'ἐστὶν ἡ ῥητορικὴ διά τε τὸ φύσει εἶναι κρείττω τἀληθῆ καὶ τὰ δίκαια τῶν ἐναντίων, et: οὐ δεῖ τὰ φαῦλα πείθειν (Rhet. I, 1. p. 1355, 20 sqq. v. 31). Neque Platone minus severe ac graviter postulat, ut orator de qua agitur rem ex omni parte cognitam perceptamque habeat et cunctis literis et singulis disciplinis imbutus atque eruditus sit (Cf. sup. p. 10 et 18). Differunt autem philosophi inter se ipsa philosophandi ratione. Nam Plato quum aeque ac Aristoteles sophistas eorumque sectatores eloquentia abuti videret vehementerque eos castigaret, tamen nimium discedens a vitae communis consuetudine rhetoricen in dialogo, cui Phaedrus inscribitur, ad verae scientiae nobilitatem evecturus rei ipsi nihil fere attulit remedii. At Aristoteles etiam adversus sophistas, qui rhetorice summam scientiam esse collaudarunt, eam nihil nisi formalem artem esse perquam recte judicio cognovit, atque prospere eventurum putavit, ut abusui illi, patefactis artificiis, quibus falsa vera finguntur, hisque ipsis inter se comparatis, resisti posset. Aristoteli enim utilitatis quam sua ars rhetorica affert causae sunt ipsae morales, quum illius esse velit prohibere, quominus eloquentia injuste adhibeatur, dicens: . . . ἐὰν μὴ κατὰ τὸ προσῆκον αἱ κρίσεις γίγνωνται ἀνάγκη δι' αὐτῶν ἡττᾶσθαι (I, 1. 1355, 22), et: ἔτι δὲ τἀναντία δεῖ δύνασθαι πείθειν, καθάπερ καὶ ἐν τοῖς συλλογισμοῖς, οὐχ ὅπως

---

[1] Eth. IV, 13. 1127 b, 15 sqq. [2] Rhet. I. 15. 1375, 27—b, 8.
[3] Cf. Spengel. Abhandl. etc. VI. p. 461 sqq.

ἀμφότερα πράττωμεν (οὐ γὰρ δεῖ τὰ φαῦλα πείθειν) ἀλλ ἵνα μήτε λανθάνῃ πῶς ἔχει καὶ ὅπως ἄλλου χρωμένου τοῖς λόγοις μὴ δικαίως, αὐτοὶ λύειν ἔχωμεν.[1] (v. 29). Ceterum vero Aristoteles omnes res quae in hominum scientia versantur pari modo sine ira et studio animo camplexus objective, ut ita dicam, investigat et scrutatur neque culpa eorum qui facultate abusi sunt in hanc ipsam adsumit, quum omnia humana bona praeter virtutem fraudi obnoxia sint.[2] Neque secus se habet artis rhetoricae tractatio atque illa politicorum disputatio, ubi qua ratione tyrannis conservari possit ostendit (V, 11. p. 1313. 34 sqq.), quum ipse hanc civitatis formam ut omnium χειρίστην et παρέκβασιν rejiciat vehementerque reprehendat (Eth. VIII, 12. p. 1160. 36—b, 2. v. 8—12). Sed illud disserere politicorum est, quod sibi esse propositum libro ethicorum Nicomacheorum decimo exeunte Aristoteles contendit (p. 1181 b, 17 sqq.). Ipse igitur, quum de re ipsa ac tota agi velit, vituperat artium scriptores et priores et aequales, quod partim singulas quasdam res tractent, veluti Corax, (II, 24. 1402, 17), Pamphillus, Callippus (II, 23. 1400, 4) alii, partim id agant, ut hominum animos moveant, quippe qui ἔξω τοῦ πράγματος loquantur (Rhet. I, 1, 1354 11 sqq.). Itaque quamquam pulchrius civiliusque est genus deliberativum judiciali, huic tamen potius studebant, quum hac in re facilius sit a proposito aberrare et hominum affectus movere: qui vero his artificiis non nimis valerent in iis judiciis ubi prohibentur oratores extra causam aliquid proferre, velut in Areopago (I, 1. 1354 b, 23— b, 3. a, 15—25). Qua in re offendimur quod Aristoteles sibi ipse repugnare videtur, quum ipse unum trium argumentationum (πίστεων) genus esse auditorum affectuum commotionem constituit (I, 2. 1356, 3. II, 1. 1377. 24 sqq.). Ac Spengelius[3] quidem, quum Aristotelem ipsum hanc partem necessariam esse concessisse dicat, difficultatem posse eo dissolvi putat, quod haec πίστις sumpta ἐκ τῶν παθῶν quasi inferior aestimatur ab Aristotele, qui quidem alios artium scriptores ob id tantum reprehendat, quod hanc solam tractarint.

---

[1] Cf. Rhet. I, 1, 1355, 37sq. [2] Rhet. I, 1. 1355b, 2: εἰ δ'ὅτι μεγάλα βλάψειεν ἂν ὁ χρώμενος ἀδίκως τῇ τοιαύτῃ δυνάμει τῶν λόγων, τοῦτό γε κοινόν ἐστι κατὰ πάντων τῶν ἀγαθῶν πλὴν ἀρετῆς κτλ. [3] Ad Rhet. p. 13.

„Quare ne quis", inquit Spengelius,[1] „ipsum sibi contraria neque alia et meliora quam priores afferre dicat, statim addit: *τοῦτο δ' ἐστὶν ὅθεν ἄν τις γένοιτο ἐνθυμηματικός*, h. e. maxime artificiosum est enthymema quod est *σῶμα τῆς πίστεως* et *κυριώτατον τῶν πίστεων*". Qua tamen sententia nequaquam dubitationem tolli posse constat. Immo hanc *πίστιν* idem atque alias valere apud Aristotelem arbitramur, qua ex ipsius sententia tum uti licitum concessumque est, quum auditorum animi ipsa re moveri possunt. Neque vero, quod rhetores facere solebant, licet a proposito aberrantes resque ab ipsa causa alienas afferentes animos afficere.[2] Quam ob rem Aristoteles praecipit, *ὅταν εἰς πάθος ὑπὸ τοῦ λόγου προαχθῶσιν* (I, 2.1356, 14). Neque aliter haec *πίστις* se habet atque illa ex persona dicentis sumpta, *ἐκ τοῦ ἤθους*, quod ut ait Aristoteles, *κυριωτάτην ἔχει πίστιν* (I, 2.1356, 13). Sed oratoris animus atque indoles ipsa oratione exprimatur perspiciaturque oportet neque judicio jam antea capto; *δεῖ δὲ καὶ τοῦτο (τὸ ἦθος)*, inquit Aristoteles, *συμβαίνειν διὰ τὸν λόγον, ἀλλὰ μὴ διὰ τὸ προδεδοξάσθαι ποιόν τινα εἶναι τὸν λέγοντα* (Ibid. v. 10). Itaque non recte Spengelius[3] „illae", inquit, (*πίστεις*) „sumptae *ἐκ τοῦ ἤθους* item *παθῶν* aeque *ἔξω τοῦ πράγματος* sunt atque ea, quae priores artium scriptores contulerant", immo si ipsa re orationis propria efficiuntur non sunt *ἔξω τοῦ πράγματος*. Affectus vero ipsi necessaria, ut Aristoteles censet, sunt animi pars, quos etiam in perdito aliquo libro, mirante Stoico Seneca, (de ira I, 17) recte adhibitos virtutum arma fieri posse scripserat.[4] Quod quidem nos non miramur, quum animi quam ethice prodit partitionis memores simus. Namque instrumenta, quibus ea animi pars quae rationis particeps est utitur, ut alteram rationis expertem ad obsequium redigat, sunt *νουθέτησις, ἐπιτίμησις, παράκλησις* (I, 13 p. 1102, 34 sq.), quae nulla unquam alia quam affectuum specie indutae apparent. Rationem autem illi animi parti, cui

[1] L.L. p. 18. [2] Cf. ejusdem auctoris (ad Rhet. p. 11) quae optime affert oratorum *τοὺς ἔξω τοῦ πράγματος λέγοντας* vituperantium exempla. Vid. imprimis Lycurg. in Leocrat. § 11 et Lysiae XII, 38. [3] Ad Rhet. p. 17. [4] Cf. Bernays: „Grundzüge der verlorenen Abhandlung des Aristoteles über die Wirkung der Tragödie". Abhandlungen der Hist. Phil. Gesellschaft zu Breslau p. 177.

affectus insunt, non ut dominum servo, sed ut regem civi imperare decere Aristoteles comprobat (cf. Bernays. l. l. — Polit. 1254 b, 8), cujus quum illa de affectibus disputatio tam copiosa atque subtilis, tum tota ars rhetorica tam perfecta ingenio tanta industria elaborata est, ut de judiciis hominum et aequalium et posterorum minime sollicitus operis sui confidenter finem facere potuerit verbis „„ἔχετε, κρίνατε.““

VITA.

Natus sum Salomon Kalischer Thorunii in Borussia occidentali d. VIII. m. oct. a. MDCCCXLV patre Ludovico matre Rebecca e gente Weyl, qui ut diu mihi serventur precor. Postquam elementa literarum in patrio gymnasio, quod auspiciis vir. ill. primum Laubert. tum Passow. floruit, edoctus sum, inter sodales seminarii judaico-theologici, auspiciis viri ill. Z. Frankel Vratislaviae florentis, receptus sum et scholas frequentavi virr. ill. Bernays, Frankel, Graetz, Joel, Zuckermann. Theologicis scholis relictis civibus Universitatis Vratislaviensis a vir. ill. Reinkens, qui t. t. fasces academicos tenebat ascriptus, dato nomine apud vir. ill. Roemer, t. t. ordinis philosophorum decanum, ea qua potui diligentia studiis quum philologicis tum philosophis me imbui. Disserentes audivi virr. ill. Barkow, Braniss, Elvenich, Neuman, Tellkampf. Duobus semestribus post Berolinum profectus per quatuor semestria in numero eram civium Universitatis Fridericianae Guilelmae Berolinensis, cujus ordinem philosophorum huicce commentationi meae concertationis palmam adjudicandam censuisse, gaudere mihi licet. Receptus sum a vir. ill. ab Langenbeck, t. t. rectore magnifico et nomen dedi apud vir. ill. Haupt, t. t. philosophorum decanum. Scholis interfui virr. ill. Du Bois Reymond, Bonitz, Harms, Haupt, Mommsen, Raumer, Steinthal, Trendelenburg, Werder, quibus omnibus viris gratiam semper habebo quam maximam.

THESES.

I.

Aristotelis spatii definitionem falsam esse.

II.

Ejusdem psychologiam e Platonis pendere.

III.

Bernaysium Aristotelis, qui citantur, ἐξωτερικοὺς λόγους ad ejusdem dialogos referendos esse haud dubium reddidisse.

IV.

Kantii ethicen ab omnibus quae ante eum prolatae sunt alienam esse.

V.

Iis qui metaphysicen posituri sint Kantio auctore ab humanae cognitionis origine, finibus, limitibus perscrutandis circumscribendisque proficiscendum esse.

VI.

Philosophiam nisi cum accurata naturae cognitione conjunctam in vere altiorem auctoritatis gradum transgredi non posse.

VII.

Eos qui teleologiam plane rejiciant non magis sibi constare posse, quam qui eam profiteantur.

VIII.

In erudienda atque docenda juventute Socratica methodo uti maximam affere utilitatem.